COMPENDIOLVM CVRATRICIS SCIENTIÆ LONGÈ VTILISSIMUM.

*

Autore D. Hieronimo Montuo Delphinensi, Mirebelli Riuoriæq; Domino, Artis et Medicinæ doctore.

Adiecta insuper est eiusdem Sylloge de purgationibus.

LVGDVNI
APVD IOAN. TORNAESIVM
ET GVLIEL. GAZEIVM.
M. D. LVI.

Cum Priuilegio Regis.

Io. Vrsinus Doctor Medicus ad Lectorem.

Si petis exigui pie lector commoda libri,
Tot sunt, quot Cous, quótue Galenus habet,
Quot vel Alexander, vel Paulus, Aëtius, Abbas,
Pluraq́ Pæonorum quàm schola tota ferat:
Imò (vel hoc subdam) cernes his cuncta libellis,
Quæ Plato, quæ Samius, quæ Stragerita docent.
Aut quæ rex Pharius, Mysiæ vel gloria terræ
Quæ Dinus, omnimodæ scriptor & hystoriæ.
Si mihi non credis, fixo lege pectore: dices
Hîc liber est studijs bibliotheca meis:
Vel dices cornu, pomis, & flore refertum,
Quòd tulit Oethæus fronte Acheloe tua:
Quo duce Pæonias tractare fideliter artes
Fas erit, inq́ graues te numerare viros:
Et veluti custos ouium Parnasidos Ascræ,
Hoc bene perlecto doctus ἰάτρος eris.
Ergo faue, medica ceu sis veteranus in arte,
Ceu noua nunc primum miles in arma venis;
Ergo faue, & tecum totum desferto per orbem
Vt tua fœlici remige nauis eat.

HIERONYMVS MONTVVS D. FRANcisco Auriæ Genuensi philosopho medicóque clarissimo S. D.

PERLEGI *epistolam tuam, quæ iustum æquaret volumen, in qua quòd sis proœmiatus, præstas, nempe quæ de hecticis febribus aliâs à Galeni lectione fuisti edoctus, inibi ruminas, cunctanterq́ expendis, & loca præfati autoris difficilia enarras, explicas'ue, atque subobscura doctè illustras, demum adeò acutè colligis, ratiocinarisq́, vt vel nolentem trahere possis in tuam sententiam, in quam lubens ipse iturus sum. Verùm ne pedibus incedam omnino peronatis, perinde ac si tuæ opinioni non planè accederem, vtcunq́ probabo, vel saltem indicabo, nullam hecticam febrim sine siccitate consistere, afferens in medium, quicquid in buccam ueniet, fortaßis diuersum futurum ab his, quæ Pallas in mentem mitteret, si nobis abundè ocij nunc esset, ad iandudum visa relegendum, sed ad rem. Hectica febris dicitur, quòd ægrè discutiatur, schetica contrà, quæ facilè: vel hectica appellatur quia ipsum corporis habitum occupat: ita namq́ solent nominare solidas partes, exaduersum deductas partibus humectioribus. Solidas partes intelligit Galenus non solùm verè solidas ex semine*

Quòd nulla hectica febris sit sine siccitate.

 genitali

genitali conditus, sed quæ contra humores distinguuntur, id est, quæ crassiores durioresq; sunt. In quo genere continentur, humor insitus, caro & verè solida substantia, vnde hectica dicitur differre ab ephemera, quòd hæc in leui affectu calorem habet, hectica verò in habitu qui ægrè soluatur. Hæc autem est intemperies in omnibus corporis solidis particulis calida & sicca, atq; æqualis, proinde tum sine dolore est, tum ne sensu ab his qui ipsa laborant, præcepta, neque enim citra alterationem est sensus. Porrò in eius generatione, dum corpus cordis discedit à temperie naturali, non statim insitus humor perit, sed imprimis ebullitio quædam efficitur ipsius humoris, deinceps consumptio quædam fit ob ebullitionem, eaq; amplius procedente, corpora similaria (quæ velut elementa cordis existunt) sicciora euadunt, minusq; alimenti sentiunt. Itaque eius differentiæ, vt Auicennæ placet, sumũtur, ex consumptione quatuor humiditatum, quæ à sua origine mutatæ sunt, & in membra iam transierunt. Verùm nondum in partem alicuius singularis membri exactè conuersæ sunt, quarum analogiam enucleat ille de scirpo ellychnió'ue, qui circunfusus oleo & incensus, ardet in lychnio, aut capiuntur differentiæ ex consumptione ipsorum membrorum quod Gal. innuere videtur, dum ait, prima & noua pinguedo consumitur per huiusmodi febres, deinde durior ac vetustior, & ab his noua & recens caro, mox dura ac vetusta, postremò solida iam corporis membra. Idem de marasmo loquens: Primum, inquit, propriam partium humiditatem ex qua nutriuntur, depascit, hinc ad carnosum genus transit, quod circa tum fibras, tum membranosas partes solidorum corporum hæret,

hæret, ita deinde ipsas solidas partes populatur. Ex quo liquet quod in hecticis quadruplex siccitas reperiri potest, prima ex sanguinis penuria proueniens, in proprijs cuiusq; particulis exilibus, arterijs, venisq; consistit, altera cùm propria humiditas vnde partes nutriuntur, omnino est absumpta, continetur ea in omnibus animalium particulis ceu ros quidam, per eas sparsus, tertia quum ea quorum substantia ex humore concreto constat, sicut caro & adeps, sunt liquata, quarta vbi solida similarium partium substantia reddita est siccior, Vnde hecticarum species treis sunt, non tabida, ambigens, & tabida, & hæc colliquans est, vel non colliquans, ambigens verò spei vel periculo proprior, & quælibet harum (vt ego existimo) potest esse pestilens, sed hac de re fortè alibi agemus. Tabida quæ & marasmodes dicitur, est cum marcore, non tabida citra hunc, vtpote incipiens, quum insitum humorem calor præter naturam iam absumit. Ambigens inter hæc media existit. Marcor seu marasmus duplex est, simplex & compositus, ille est corruptio viuentis ex siccitate, hic verò secum habet calorem vt in hectica, vel coniunctam frigiditatem, vt in senecta ex morbo, incipit autem marcor in hecticis, quoties humor insitus in vno quoq; corpore dispersus per loca media partium similarium, ex quo membra primum aluntur, ferè in ipso corpore cordis, nullus amplius inest, quousq; enim aliquid ipsius seruatur, hectica tantummodo est, nondum tamē marasmodes, vbi verò nihil insuper huius existit, exquisitus iam marcor consistit. Et præfatis satis patere reor, quòd nulla hectica febris sine siccitate consistit, per argumenta ducta ab ethymo, diffinitione, modo genera-

 tionis

tionis ipsius febris, eiusq; differentijs, atque adeò à causis non solùm materialibus in quibus scilicet (siquidem accidentia non habent causas materiales ex quibus fiant, vt philosophi loquuntur) sed etiam à causis efficientibus, hectica nanq; efficitur à causis primitiuis, quæ sunt de causis exsiccantibus, vt à mœrore & ira, vel fit magna ex parte post febres ardentes, quæ prorogantur adeò, vt consumant spatio temporis humorem corporis cordis. Sed quidam ambigunt, an fieri poßit incipiendo: Impoßibile certè est, quòd fiat non præcedente caliditate in fieri, quæ sit dyscrasia diuersa, eoq; Galenus nulla hecticarum, inquit, in primis diebus sed in progressu temporis fit, sed maximè siccos calidosq; affectus statim à principio hectica corripit, vnde euidētißimum fit, quòd hecticarum nulla sine siccitate consistit. Sed inquies, Galenus contrà hecticam sæpenumero sine siccitate consistere adstruit. At hoc Galeni dictum forsan non solùm de pestilenti hectica (vt tute subtiliter interpretaris) sed etiam de non tabida & ambigente, quæ spei proprior est, verificari potest. Istæ etenim consistunt sine siccitate, scilicet consummata, quæ per antonomasiam siccitas Galeno dicitur. Est autem consummata, vt idem scribit, vbi solida similarium partium substantia reddita est siccior. Accedit huic opinioni, quòd hectica sine siccitate sæpenumero consistit, vel Galeni testimonio, atqui hectica pestilens perrara est. Nec hoc loci displicet Thomæ à Garbo expositio, tametsi barbara, vel quia apud glossularios philosophos & medicos sum aliquando versatus: vel quia balbi, vt est in prouerbio, non nisi balbos rectè intelligunt, itaq; modò absit ingenij barbaries, neminem ob orationis solœcismos esse reprehendendos

Galeni locus enarratus.

putat

putat Galenus tuus, imò & meus, modò illud vulgare concedas τὰ τῶν φίλων κοινὰ, reorq́ in glossematis tam rectius Thomam philosophari, quàm nostri interpretes loquuntur ornatius. Iam confers Galeni de differentijs feb. versiones duas cum antiqua nouas, in vna propositione, quam sic vertit vetus interpres, sæpius hectica sine siccitate consistunt, in tabem non transeuntes, quales. & nunc facta sunt, quàm multis in fame. Laurentianus ita, qualis & nunc persæpe in magna penuria. Leonicenus in hunc modum aliter, quemadmodum multis hoc tempore in magna pestilentia contingit, vnde hic videtur legisse ἐν τῷ λοιμῷ, illi verò ἐν τῷ λιμῷ sine diphthongo: quod famem vel penuriam significat, ob id censes solam Leoniceni traductionem fidelem esse, certè si verum sit quòd scripsit Aristoteles, τὰ δ' ἕκαστος καλῶς ἀναγινώσκει, καὶ τούτων ἐστὶν ἀγαθὸς κριτής, tu rectè indicasti. Quandoquidem similitudines eruditis etiam medicis imponunt: si Hippocrati credimus, & homonymiæ pariunt cauillationes, & errandi præbent occasionē, vt Aristoteli & Galeno visum est, consueuit Leonicenus in illis oculatus esse, hinc est quòd taxat Gazam (qui vir Græcus latinos omnes in hoc munere scribendi interpretandiq́, vel teste Her. Barbaro superauit) in hac Aristotelis versione. Canes rabidi quę momorderint omnia rabiunt, excepto homine, & loco πλὴν, quòd significat pręter, substituit πρὶν, id est prius. Multos itaq́ lapsus colligere licet, in nouis Galeni, Aetij, atq́ Æginetæ traductionibus, qui propter homonymiam vel vocum similitudinem non animaduersam, bonis etiam interpretibus exciderunt. Cęterùm hecticam pestilentem (quam solam credis sine siccitate consistere)

Locus Aristotelis restitutus.

 Viennę

Viennæ (quæ ciuitas hinc distat decem lapidibus) agnouimus, in multis ea correptis, anno (si rectè memini) 1525 febris parua erat: & febre se liberos ægrotantes affirmabant, quorum pulsus moderatis similes erant, & vrina à naturali non adeò dissimiles, in omnibus tamen fuit insanabilis, sicuti prædixeramus, qua de in præsentiarum nihil amplius referam: nam vereor ne te occupatissimum nimia literarum nostrarum prolixitas offendat, hoc vnum duntaxat adijcere liceat, quòd reddita mihi sunt Do. Bernardi à Mortaria generis tui, magnifici sanè viri, opipara καὶ ἀπαρεσιτα δῶρα, qualia ne principibus quidem indecorum fuerit, vel dare, vel accipere, videlicet cyphus argenteus & auratus & celátus, persica sapidè condita ex saccaro, ac sapidissimi bucellæ cydoniati orbiculata, cynara item echini oppido quàm grandes, quàmplurimiq́, quos Caballus vix posset βαςαζεῖν, addidit arancia cùm dulcia tum acrimoniosa, poma matiana (vt quibusdam placet) Galeno appellata, quæ cæteris hactenus visis hoc loci, sunt crassiora, ea puto decerpta ex hortis hesperidum, pro quibus illi gratias habeo, agoq́, & quoniam referre nequeo, γλαῦκας εἰς ἀθήνας, dum tibi dono, non vt ille inquit, lepidum nouum libellum, sed isthuc quod nuper effudimus, verius quàm scripsimus, curatricis scientiæ compendiolum quod pro tua humanitate (vt remur) boni consules.

Locus Gal. declaratus.

Vale. Lugduni tertio Idus Maij.

*

COMPENDIOLVM CVRATRICIS ſcientiæ longè vtiliſſimum.

*

Authore Hieronymo Montuo Delphinenſi, Mirebelli domino, Liberalium Art. Medicinæq́ doctore.

QVEMADMODVM IN præcedenti commentario de omnibus quæ ad conſeruatricem ſanitatis ſciētiam pertinent, compendioſè tractauimus: ita nunc de vniuerſis, quæ ſunt morborum curatricis, ſummatim diſſeremus: qua de Hippocrates, medicina, inquit, eſt πρόσθεσις καὶ ἀφαίρεσις, id eſt, additio & detractio. Detractio exuberantium, additio deficientium. Proinde decipiuntur, qui putant hac Hippocratem finitione omnem medicinæ partem fuiſſe complexum, nam ſolum vel de actiua ſcientia (quæ eſt ἡ διαιτητικὴ ὑγιαινόντων, καὶ

Lib. de flat.

Lib. de flat.

θεραπευτικὴ νοσούντων, hoc eſt, non minus ſanitati tuendæ, atque morbis curandis accommoda) vel & potius, de curationis ductu contextuq́;, qui per diætam aut chirurgiam aut medicamenta abſoluitur, verificari illa diffinitio poteſt: non item de theoreſi aut aliqua ipſius parte. Quod Galenus docens, non contrariorum contraria, ſed ceu Platoni & Ariſtoteli viſum eſt, oppoſita ſibi inuicem eſſe remedia, apertà innuit, his verbis: multitudinem ſanat euacuatio, defectum nutrientia. In ſumma, quod exuperat ablatio, quod deficiens eſt, adiectio.

II. Ther.

Curatrix nõ eſt medendi actio.

I. Theor.

Curatrix itaque medicina non eſt medendi actio, vti credidit Halyabbas, ſed ſcientia methodum medendi docens: hoc eſt, viam & rationem auferendi quæ præter naturam nobis accidunt: morbum ſcilicet, cauſam, & ſymptoma.

Morbi definitio Lib. de phleb. lib. de dri. morb.

Morbi diuiſio.

Morbus eſt affectus, non omnis, (affectionis enim vocabulum apud Galenum de multis effertur rebus) ſed præter naturam à quo actio primò vitiatur, hoc eſt, deprauatur, minuitur, aut tollitur: Diuiditurq́; à Galen. in ſimplicem & compoſitum. Simplex eſt vna ægritudinis ſpecies, vtpote in

conſimi

consimilibus partibus, dyscrasia: in instrumentarijs incommoderatio, vitiata'ue compositio. In vtrisq;, continui solutio. Compositus est in quo duæ aut plures coniunguntur simplicis morbi species, vt Auicenna finit, quæ in vniuersum tres sunt prædictæ. Vitiorum enim genera secundum Galenum, eadem sunt his quæ virtutem perficiunt. Ex quo Auerrhois tot sanitatis quot morbi species esse autumat, sed cùm illæ sint innominatæ, his verò sint nomina indita vel à loco affecto, vel à simptomate, vel ab ambobus, vel à causa putata, aut à similitudine ad aliquid extrà positum, vt declarat Galen. Aliqua, inquit Aristoteles, ægritudo nulli contrarium, vt febris & ophthalmia. Vel vt alij codices habent, epiphora: quibus nullum est contrarium specificum denominatum'ue. Sanitas itẽ, ait, simplex est, sed multiformis morbus: sicut enim medium ad extrema, ita sanitas ægritudini, & cuicunq; speciei eius est aduersa. Huc alludere Galenus videtur, in omnium rerum genere, inquiens, quod optimum est, vnum est, vitiosa verò plurima. Idemq; à sanitatis inuentione morbi definitionẽ scienter

2.1.phen.

2.art.par.

3. cæli cõ.18.

Morborum nomina.

2.therap.

4.top.

1.magn.moral.

Locus Ari. declaratus.

6.de t.f.

Lib. de dr. mor.

ter demonſtrauit: nempe contrariorum, vt Ariſtoteli placet, eadem eſt diſciplina.

1. & 6. top. 3. Metaph.

Morbus quoque ſecatur in ſimpliciter & nunc, ſimpliciter autem in ſemper, & vt multum. Simpliciter morbus eſt mala ab ipſo ortu naturæ ægritudo: nunc morbus non ab ortu naturæ ſed in præſenti eſt ægritudo: ſimpliciter ſemper ex ipſo naturæ ortu peſſima eſt ægritudo: vt multum verò ab hac quidem recedit, nondum tamen mediocritatem attingit, vt vult Galenus.

Morbus ſimpliciter & vt nunc.

1. art. par.

Morbus ſimplex ſimilarium partium intemperies calida, frigida, ſicca, humida, in parte vel in toto: nuda vel cum affluxu, id eſt, immaterialis vel materioſa: & hæc bifariam fit, ſecundùm Auicennam: quum pars videlicet intra ſuos meatus materiam retinet, vel in ea immerſa & infuſa ſeu madida eſt. Difficile tamen eſt dare ſimplicem cum materia, vt opinatur Auerrhois. cuius collectanea eleganti verſione nuper Latina fecit do. Io. Cãpegius. R. Do. Card. à Turnone medicus. Simplex itaque ſi Galeno & Auicen. credimus, non diu durare poteſt: quod enim calidius eſt iuſto, reddit corpus ſiccius iuſto. Itidem & frigidius iuſto, reddit

Prima 1.

1. coll. c. 1.

2. de tẽ. 6. de t. ſ. prima 1.

dit corpus humidius iuſto : humiditate ſcilicet aduentitia : quod verò ſiccius eſt iuſto, celerrimè reddit illud frigidius iuſto. Humidius quoque iuſto ſi excedat, velocius infrigidabit quàm ſiccius : ſed ſi non excedat, tunc diutius illud ſeruabit : verùm reddet demum ipſum frigidius iuſto. Simplex item, teſte eodem, facta, fiens, aut futura : facta dicitur independens in eſſe & conſeruari à cauſa extra eſſentiam ſui ſubiecti ſpeciali dependentia, vt definit Dinus, Bentius, & Optatus, Huic opponitur illa quæ adhuc fit. Æqualis intemperies eſt quę in omnibus intemperanter affecti corporis partibus æqualiter ineſt, tanta videlicet paritate & ſimilitudine vt nulla ſequatur actio & paſſio, & conſequenter nulla ſenſatio, vt in hectica febri : per quam partes corporis vniuerſæ ſic æquales ſimiles'ue in forma euadunt, vt nulla partium ſua intemperie, aliam (tametſi in gradu diſſimilem) offendat. Haud diſpariliter in ſano corpore partes temperamentis diſſidentes vnicam habent conſentientem temperiem, vt indolens illarum inæqualitas ſit. Inæqualis dyſcraſia non in omnibus intemperanter affecti

3.art.par.

Morbus factus & fiens. Illi in quæſt. medicis, hic verò lib. de hectica feb.

Morb. æqualis & inæqualis.

Lib. de dyſc. inæqual.

fecti corporis partibus æqualiter inest, vt ex Galeno colligitur. Inciditq; in vna qualibet parte, quũ ea intumuit inflãmatione: fitq; in toto corpore, velut in anasarca, & hepialo, in quo simul febricitant & rigent & vtrunq; sentiunt ægrotantes, eodem tem-
2.de dr.fe.c. pore, in quauis corporis parte, vt ait Galenus. Ex quo apparet quòd calor & frigus in hepiala non sunt maxime & simpliciter, sed potius secundùm quid contraria: quando vnum cum alio eidem subiecto, & eidem subiecti parti se simul tempore (at non simul intensione) admittit. Simplex præterea, vel est primarius propriusue affectus, vel secundarius, seu qui fit per consensum.
1.de lo. aff. Morbus primari' & per consensum. Proprius est, vt sentit Galen. qui per se mẽbro inest: per consensum verò qui ab aliquo in aliud deriuatur. Sic quæ pars afficitur idiopathia, id est, affectu proprio, vel
3.epi. cõm.1. sympathia, id est, per consensum, & hoc positiuè, seu absolutè, aut priuatiuè. Tribusq; modis consensus fiunt secundùm Sabidum, aut propter viciniam, aut propter familiaritatem vel generis vel operis: generis vbi neruosum neruoso, arteriosum arterioso, venosum venoso consentiat: operis

cùm

cùm mammæ & thorax partibus genitalibus. At secundùm Auicennam, sex modis fiunt consórtia: propter continuitatem, viam, vicinitatem, operationem, famulatum aut inter medium partis ad partem. In vniuersum per consensum afficitur omnis pars quæ ab altera priuatur materia idonea vel facultate qua actio indiget, vel quę ab alia accipit humorem vel vaporem suam lædentem actionem: Sciendũ tamen quòd pauci sunt ex morbis diuturnis, qui per consensum fiant, sed interdum euenit vt affectus ob consortium ortus transeat in proprium, quando scilicet finito alterius loci morbo, permanet, quod Hippocr. innuit lib. de fistul. Iam simplex dyscrasia morbus est acutus aut chronicus. Acutus est qui celeriter iudicatur, & magnitudinem habet. Vnde nõ omnis brachichronius, id est, exigui temporis, est acutus, 3. de crit. Acutus verò triplex est. Acutus exactè qui adusq; 14. diem producitur. Acutus non exactè qui ad 20. vsque durat. Acutus ex coincidentia ad 40. diem vsque peruenit, dicitur τροπικὸς, id est, acutus ex conuersione. Estq; medius inter acutum & longum. Peracutus

2. phen. 1.

Morib⁹ acutus & diuturnus.

Ex 2. aphor. cõm. 19. & 3. de crit.

2. de cris.

2.aph. cõm. 23.& 1.prog. com. 28.lib. de fi.2.de cr.

tus est qui ad 7. vſque diem extenditur, ſeptimum non tranſmeat: Peracutus exactè 4.diem attingit. Non exactè ad ſeptimum vſque producitur. Morbus mitis inter acutos à Galeno numeratur. Quare perperam in diffinitionibus medicis ſic deſcribitur,

1.de criſ.

περιεστηκὸς νόσημα ἐστὶ ὅπερ οὐδέποτε ἀναιρετικὸν γίνεται, hoc eſt, Morbus mitis eſt, qui nequaquam hominem tollit: ſiue exitioſus efficitur: ſiquidem omnis acutus (vt paulò ante diximus) magnitudinem habet. Acuto oppoſitus eſt diuturnus, & omnis talis eſt tardus, ſed non omnis tardus eſt longus 3. de crit. Ad hunc refer annuum morbum, qui poſt annum primæ ſuæ generationis diſcedit: & eum qui ſeptenum annorum ambitum amplectitur, & illum qui ſeptenum menſium, de quibus Galenus & Hippocrates meminere, lib. de natur. hum. Miti morbo malignus opponitur. Ad quem pertinet morbus magnus ſeu vehemens: conſueuere enim medici omne vehementius maius nominare, ſiue ſit ſecũdum qualitatem, ſiue ſecundum quantitatem, vt notauit Galenus.

Morbus mitis & malignus.

6. aph.cõ.vl. & 1. de dri. fe.c.1.3. aph. Com. de na. hum.

Magnus redditur propter afflictæ partis

tis præstantiam vel propter affectus magnitudinem, vel propterea quòd sit cacoëthes, vel propter facultatis quæ læsum corpus gubernat offēsam: oppositis tot modis paruus seu debilis effertur: quoniam oppositorum eadem est disciplina. Ex his claret quòd paruus morbus interdum magnus est: nam debiles & paruæ febres, vt scribit Gal. quādoque valde malignæ sunt: ideo febrium quieti non esse fidendum idem exarat: huc etiam refer, quòd morbi magnitudo vel supra vires est, vel econtrariò viribus imbecillior: Quomodo verò magna ægritudo differt à forti, & parua à debili Moses enarrauit 9. suorum apho. Præter hæc simplex dyscrasia morbus communis sporadicusq; esse potest. Communis est qui inuadit multos in communi: triplexq; est. Epidemius qui tēpore anni aliquo in regione aliqua abundat, insolescatq;, pestiferus seu pestis est epidemia perniciosa. Endemius patrius seu vernaculus qui proprietate regionis superuenit acceditq;, de quibus omnibus fusè & seorsum egit Hippocrates: sicuti & de sporadico. Est enim sporadicus qui passim priuatimq; prehendit, ægros discrepanter fatigans,

Morbus magnus & paruus fortis & debilis.

4. & 7. ther.
1. & 6. top.

Locus Gal. enodatus. 3. de cris. 4. r. a. com. 61. lib. de. g. morbi temp.

Morbus cōmunis & sporadicus.

Lib. de aquis aëre & lo. li. epi. lib. de r. u. a. morb.

Morbus cōtagiosus.

1. r. a. com. 13. 1. epist. com. 1. & 3. epi. com. 3.

Cõtagio q̃d. 7.probl.4. 1. de dri. fe. c.2.1. In com.pror rhiticorum.

gans, neque ſecundùm communem modum conſtans, vt ex Gal. gloſſematis patefcit. Contagioſus eſt qui contagione inficit: eſt autem contagio res inficiens euaporata ab ægrotante per intermedium aërem ad eos qui appropinquati capiuntur, vt innuit Ariſtoteles, Gal. & Auicenna: fieri etiam poteſt, ait Gal. vt materia contagione infecta lateat in corporibus noſtris multos menſes, imò annum integrũ priuſquam vires ſuas longè lateq; expendat, & in venas membraq; prorſus incumbat. Hæreditarius eſt qui de parentibus ad prolem deſcendere cõſueuit, vt deſcribit Aphrodiſeus & Dam. vitia inquit animi, Figuræ corporis, & morbus diuturnus præſertim principalis membri ab auis & parentibus cadunt & hæreditantur.

Morbus hæreditarius. 1.probl.prolog.

Morbus ſimilariũ compoſitus.

Morbus ſimilarium partium compoſitus, dyſcraſia compoſita, de qua (ceu de ſimplici dictum iam eſt) præfatæ morborum differentiæ prædicari poſſunt: eſt autem intemperies compoſita, vbi plures qualitates à naturali habitu aberrant, vt dixit Galenus: interdum tamen vna ſimplexq; qualitas, dyſcraſia compoſita eſt, vt probat

Lib. de dri. morb.

Arcula

Arculanus de febre, quæ à duobus humoribus loco diſtinctis pendet: ſic inflammatio ſicca, quæ eſt (teſte Galeno) quando nullo humore influente calor naturalis efferueſcit, intemperies compoſita dici poteſt. Morbus etiam ſiccus eidem dicitur, à quo nihil expurgatur qualis eſt pleuritis aſtricta.

In com. ſuper, 1.4.2.ad glau.

1.1.2.9.to.21

Morbus inſtrumentalium ſimplex quatuor habet genera: primum eſt conformatio indecens, cuius ſpecies, figuræ deperditio, concauitatis amiſsio, aſperitas leuium partium, leuitas aſperarũ. Secundùm quantitas indecens, cuius differentiæ excreſcentia partium & diminutio. Tertium, numerus indecens, cuius ſpecies defectus aut ſuperfluitas partium adcreſcentium naturali habitu: vt ſextus digitus, aut toto genere præter naturam, vt calculus, vt ex Galeno colligitur: hunc tamen eſſe in via morbum & non in numero contendit probare Scalige orator philoſophusq; bonus. Quartum ſtructio indecens, cuius differentię poſitio præter naturalem habitum & receſſus partium à naturali habitu. Iſthæc genera non diſsident ratione prædicamenti, vt

Morbus inſtrumentaliũ ſimplex.

Lib. de dif. morb.

In com. ſuper in ſomnia Hipp.

patet de quantitate & numero. Vniuersi itaque morbi quatuor prædicamentis continentur: substantiæ, quantitatis, qualitatis, & vbi: vt retur Capella, vel quinq;, iuxta Auerrhoen: quibus reclamans à partibus, morborum inquit genera non secundùm prædicamentum, sed penes nocendi modos distinguuntur.

In epi. curatiua. 3. coll. c.13.

In com. super.2.1.

Morbus organorũ compositus.

Morbus instrumentalium cõpositus duplex est, proprius & accidens. Prior est quum duo plures'ue morbi instrumentorum simul sunt in eodem organo, vel plures organi particulas infestant: vt in oculo, suffusio cum pterygio vel rhœade: sic in lingua, nimia asperitas & magnitudo. Posterior est quando morbi similarium partium simplices multi, vel compositus aliquis, vt phlegmone, vnam instrumenti particulam, aut singuli singulas infestauerint. Hi nanq; ex accidente ad totum organum referuntur: vt ophthalmia mẽbranæ adnatæ morbus propriè existit: oculi verò per accidens. Est insuper aliquis morbus cõpositus, cuius nulla pars morbus existit, vt subtiliter disputat Marsilius de tribus decidentiæ neutralitatibus simul coniunctis.

In glossa super 4.1.

Quand

Quandoquidem vnitas ſingularum partium eſt communis natura, qua vnũquodq; corpus, vnum eſſe, & vnam functionem, vel vnum vſum perficere dicitur, eius diuortium ſimilaribus diſſimilaribusq́; partibus communis ægrotatio appellatur. Quæ triplex eſt: cum vel ſine ſubſtantiæ iactura, & contuſio. Harum omnium vel ſaltẽ duarum quælibet ſimplex aut compoſita eſt. Simplex ſimilarium vlcus, fractura, conuulſio. Inſtrumentalium verò auulſio, ac apertio oſculorum. Compoſita vtrarunq; partium, quę coniungitur cum alio morbo ſimplici vel compoſito vel ſecum vt vlcus cum ſpaſmo: fractura cum vlcere: vel cum ſua cauſa præſertim interna, vel cum ſymptomate. Iam ſimplex & compoſita à partibus quibus hæret variam ſortitur nomenclaturam, nempe in oſſe κάταγμα καὶ ἄγμα id eſt, fractura nominatur. Cuius in caluaria quinq; exiſtunt differentiæ velut ſupputat Herodotus, ῥωγμὴ, ἐγγίσωμα, ἐκπίεσμα, ἀπόχημα, καμάρωσις, præter hæc quòd ab eroſione oſſi contingit, τερηδὼν hoc eſt, caries dicitur. In neruo σπάσμα, id eſt, conuulſio. In ligamentis ἀπόσπασμα id eſt, auulſio vel diuulſio.

Morbus cõmunis naturæ. lib. de dr. morb.

Lib. introd.

diuulſio. In venis & arterijs ῥῆξις, ἀναστόμωσις, διάβρωσις, hoc eſt, ruptura, apertio, eroſio. In cute ἀπόδερωσις id eſt, excoriatio. In carne νύγμα, τραῦμα, ἕλκος, quod eſt, punctura, vulnus, & vlcus. Hæc inter ſe diſſidēt; quòd vlcus à cauſa interna efficitur, vulnus autem & punctura ab externa, eaq́; varia, vt velle videtur Gal. licet Hipp. ſolutam vnitatem tam ab externa quàm interna cauſa factam ad librū περὶ ἑλκῶν referat. Vulnus Auicennæ eſt plaga, vbi nondum eſt pus, vlcus vbi iam adeſt θλᾶσμα vel θλᾶσις id eſt, contuſio, prælibatis partibus omnibus accidere poteſt. Verùm de vnionis corruptione nullus meminit Galeno prior, à cuius tamen ſententia nonnihil variat Auer. cui vnitas eſt ſanitas conſimilium, & contiguitas organicorum membrorum, eoq́; vera continui ſolutio ſolum ſimilaribus ineſt: non vera autem inſtrumentarijs. Poſtremò cæci morbi dicuntur, quorum cauſas ne Medici quidem perſpicere queunt, vt inquit Columella lib. I. ad hos plurimos referre licet, quorum cauſa cæca latensq́; eſt.

Lib. de cauſ. mor. & de cōſtit. ar. med. 4.4.

Lib. de cauſ. ar. meden. 3. coll. c. 17.

Cauſa morbi.

Cauſa eſt ad quā aliquid ſequitur, quod effectus nominatur. Ad cauſam aliquid ſequi,

qui, eſt ex ea, per eam, ab ea, ipſiusq; gratia aliquid eſſe aut fieri: quocirca quatuor. cauſarum genera inſtituit Ariſtoteles, quæ ſigillatim expendere ſolet Galenus, non modò in medicinæ theoria (de qua plurima ſe volumina ſcripſiſſe commemorat: ex quo obiter perſpicuum fit, neotericos aliquos errare, qui medicinam neq; eſſe ſpeculatricem neque actiuam audenter magis quàm ſcitè, aſſeuerant) ſed in therapeutica. Autor quoque libelli de renum affectibus, in lithiaſis dignotione ac medicatione cauſarum quadruplex genus proſequitur. Non tamen ignoro, quòd vel notauit Leonicenus, eſſe Galeni conſuetudinem per cauſam ſimpliciter, efficientem tãtummodo intelligere, quod probant duo de cauſis morborum & ſymptomatum volumina, in quorum neutro de reliquis cauſis ex profeſſo tractat, ſed tantùm effectrices explicat, has enim ſolas ad curationis modum dignoſcendum ſatis eſſe idem credidit. De ſolis item efficientibus & conſeruantibus (quæ ad efficientes reducuntur) medico eſſe ſermonem teſtatur Aphrodiſeus, hoc ipſum confirmat Auicenna, qui

2.Phyſ.

Lib. de libris proprijs.

In prefa. ar. par.

3.ar.par.

Lib. feb.2.1.

medicæ diffinitionem cauſæ, vni duntaxat
Lib. de cauſ. mor. efficienti accommodare voluit. Igitur effe-
ctrix morbi cauſa eſt affectus præter natu-
ram morbum præcedens, actionem cor-
poris lædens, non per ſe, ſed adueniente
morbo. Diſtribuiturq; in externam & in-
1. ther & cõ. de nat. hu. 2. ternam, ſiue in περικαταρκτικὴν καὶ προηγου-
μένην id eſt, in euidentem & præcedentem.
Illa extrinſecus accidit, hæc ex nobis ipſis
profecta, in nobis'ue conſiſtit. προηγουμένη
rurſus diuiditur in remotam (inter quam
& euentum multæ interiacent cauſæ) &
propinquam, inter quam & effectum haud
multæ aut nullæ interiacent cauſæ. Et hæc
συνεκτικὴ hoc eſt, continens dici ſolet, quæ
cùm præſens adeſt, eius quoque affectus
adeſt, quum verò deſinit, etiam affectus
Lib. contra Iulianum ſophiſtam. euaneſcit: vt finit Autor defi. pariter & Ga-
lenus: quippe ea poſita, neceſſariò mor-
bus ponitur, & remota, remouetur, perinde
ac ſi ſimul cum effectu exiſteret, cauſaq;
eſſet in actu. Et in hoc etiam differt à cauſa
antecedente, quæ quaſi cauſa in potentia,
non ſemper ſimul cum effectu exiſtit, vt li-
quidò conſtat in febrium typicarum remiſ-
ſione ſyncera. Rurſus de cauſa coniuncta
verific

verificari Galeni verba videntur dicentis, 1.de lo.aff.
causam id esse quo tangente afficimur, &
quo separato quiescit affectus. Iure ergo Ari
stoteles atque Themistius hanc in omni re 2.phys.
cuius est causa, tanquam præcipuam inue-
stigandam esse tradunt, ad eam enim simul
atque peruentum est, cessat quæstio ea, quę
cur ita sit, & vndenam à dialecticis, nuncu-
patur. Hanc quoque in morbis factis, qui 2.post.
omnes sunt entia permanentia, rectè scien-
terq; tollit Galenus: non item in illis qui 2.ther.
adhuc fiunt: etenim quatenus fiunt, eate- Lib. de caus.
nus pathematum rationem subeunt: nam cont.
rei quæ afficitur motus, pathos appellatur,
ob idipsum idem, vt arbitror, πυρετὸν, id est, 2. ther.
febrem pathema vocauit: & morbos qui Lib. de phle-
etiamnum fiunt, non vera curatione, sed ea bo. Locus
quæ mixta est ex vera & præcautione, cu- Gal. enodatus.
randos esse docet. Itaque in aliquot morbis 11. ther.
& symptomatibus causam coniunctam sta-
tuisse Galenum patescit lib. aduersus Iulia-
num: item 6.epi.com.3. oportet ait exquisi
tè dignoscere in Ægrotis causas incipiẽtes
antegressas, & cõtentiuas præstãtia accidẽ-
talis pupillę amplitudo angustiaq; (quas ma
gnitudinis indecẽtis species facit Auicen. 2.1.

 alte

altera enim partis excreſcentia,altera dimi nutio eſt)continentẽ cauſam habere aſſerit Gal. Eadẽ itidem conſpicua eſt in omnibus obſtructionibus, qui à craſſis aut lentis fiũt humoribus,in ſuffuſionibus, humidisq; inflammationibus atque abſceſſibus: vt ſileam interim pleraq; omnia accidentia & ſymptomata, hoc eſt, actiones inoffenſas, quales pulſus,& læſas,vti ſunt ſtupores,quibus cauſam continuam præfatus medicorum coryphæus aſcripſit.

1. de cauſ. ſy.

1. de cauſ. pul. 2. de cauſ. ſy.

Cauſæ morborum calidorum.

Morborum in ſimilaribus ſimplicium & calidorum cauſæ externæ & internæ quinque numerantur. Motus vtpote localis, calefactiuus eſt enim, teſte philoſopho, quando aut per confricationem aut concitatam medij diuiſionem fit: præterea vt motus cœli circunuoluens aſtrum ſuper hemiſpherium calefacit, ita animalium motus adducens calefaciens, videlicet ſpiritum & ſanguinem (ſanguis nanq; caloris natiui in nobis fomes eſt, ab eoq;, vt tradit Galenus, calor perſeuerantiam habet) ſuper paſſum calefactiuus erit. Non diſpariliter animi affectus corpus alterant, propter varium ſpiritus motum: qui interius aut exterius, ſubito

Lib. de cauſ. mor. 2. cæli. & 1. meteo.

Locus Ariſt. declaratus.

Lib. de phlebo. 3. ar. par. 2. 1.

tò vel paulatim efficitur: vt loquitur Auicenna. Materia vt medicamentum acre calens, vel alimentum: quod deuoratum, ſecundùm eundem, tribus operatur modis, ſui qualitate, aut materia, aut tota ſubſtantia. Vicinia & contractus rei calidioris, à qua continenter vicinis partibus diſtribuitur calor, haud ſecus accenditur febris ratione ſocietatis: ſemper enim ſimul cum eo quod incaluit, pars continua calefit, quouſque affectio ad cor ipſum peruenerit. Conſtipatio impediens quominus vapores aut exhalationes tranſpirent, calorem auget, non per ſe, ſed per accidens, caloris ſcilicet repercuſſu: ſic incaleſcunt vaporaria & hypocauſta, ac in nobis plethoram vel febrim inducere ſolet ſtegnoſis: quòd halitum materiæ vaporoſæ aut benignæ, vel acris & mordacis tranſpirationem prohibeat. Putredo putrefactio'ue calorem efficit in parte, vt in abſceſſibus: vel in toto, vt in febre: propter extraneum calorem, quo putreſcentia omnia ſunt calida: licet proprio frigeant, vt ait Galenus: ſiquidem putrefactio, ex Ariſtotelis ſententia, eſt in vniuſcuiuſq; humido propriè & ſecundùm natu

2.primi.
1.de dr. fe.c. 6. & lib. de phlebo.
1.de dr.ſe. c.4.
2. de temp.
4.meteo.

ram

ram caliditatis consumptio, ab externa caliditate, vt ambientis, facta: per quam scilicet consumptionem mixtum corrumpitur, siue in sua elementa dissoluitur: quare

11.ther. Galenus putredinem finiēs, est, inquit, mutatio totius putrescentis corporis substantiæ ad corruptelam à calido externo: quòd videlicet naturalem caliditatem vnà cum humido ad se allicit, perq; poros rarefactos

4.meteo. educit, vt explanat Albertus.

Causæ morborum frigidorum.

Frigidorum identidem quinq; sunt causæ. Motus immodicus & otium: nam calor, vt flamma, augetur motu mediocri, immodico dissoluitur, nullo marcessit: ex quo perspicuum fit, quòd contraria in eodem idem efficere potest: sed non eodem pariter modo. Raritas totius vel partis calorem natiuum dissipans. Constipatio, quæ fit interceptione arteriarum ob nimiam sanguinis plenitudinem, natiuum calorem suffocantem vel vinculis iniectis, quæ partem priuant communione cordis. Vicinitas & contactus rei frigidæ actu vel potentia. Materia frigida qualitate aut quantitate, vt alimētum & medicamētum: harū duæ postremæ propria vi refrigerare possunt, reliquæ

verò

verò per accidens ſolùm.

Siccorum ſeptem cauſæ. Aër, aqua, medicamenta, alimentaq́; exſiccantia, modica nutricatio, vigiliæ, ſiccant enim totius habitum corporis vt refert Galenus. Motus plurimus, animiq́; pathemata, de quibus Moſes: pinguedo, ait, & caro tenera ex aſſidua anguſtia eliquantur, ſanguisq́; corrũpitur ex deſiderio continuo & amore. Cauſæ mor. ſiccorum. 7. ther. & 3. ar.par. 7.apho.

Humidorum cauſæ ſunt quæcunq; corporis ſuccos reficere, augere, membrorumq́; natiuum humorem ampliorem reddere poterunt, ſpeciatim verò præfatis ſiccorum cauſis opponuntur: niſi quòd ſomnus non omnis humectat: nam in ſomno ſanguis calorq́; naturalis ad interiora tranſiens, nihil habens quod concoquat ac conficiat, neceſſariò corpus tabefacit, maximè ſi multus fuerit, atque longus, ita enim membrorum natiuam humiditatem conſumit: id quod Hippocrates innuiſſe videtur in hunc modum ſcribens, immodicè euacuatum ſomnus multus exſiccat: rurſus ſomni, inquit, ieiunium extenuant & refrigerant, ſaturum excalefacientes humectãt, & alimentum in vniuerſum corpus diffundunt Cauſæ mor. humidorũ. Somnus nõ omnis humectat. 6. epi. 2. de v.r.

dunt. Ad has itaque causas refer animi tranquillitatem & gaudium, siquidem impinguat, pinguefacit'ue, secundum Aliab. & Auicen. Lætitia quoque vires tum animales tum vitales validas reddit.

5. theori. in canticis 4.1.

Causæ consimilium cōpositorum.

Compositorum in similaribus qui citra humores eueniunt causæ sunt compositæ, quippe calidorum & humidorum causa est calida & humida, ita in reliquis coniugationibus perpende. Eorum verò qui cum humoribus consistunt, causæ sunt ipsi humores, vtpote calidorum & humidorum causa sanguis: calidorum & siccorum, flaua bilis: frigidorum & humidorum pituita: frigidorum & siccorum atra bilis: hi tamen humores nequaquam synceri sed mixti in partem fluunt transmisione vel attractione, vnde tanta in morbis varietas.

Causæ mor. factorum & æqualium. 2.1. 3. de præsag. ex puls.

Morborum factorum & æqualium, qui sunt simplices & per se, & non sequentes alias ægritudines causę magna ex parte sunt externæ, in quarum numero reponit Auicenna animi affectus, quos Paulus ad internam referre videtur, lib. 2. Mœrorem interdum sequuntur & iram à primo quædam hecticæ, aliter nescio, inquit Galenus,

nus, an vlla febris inde vſque ab initio fiat hectica, à quo diſſentire videtur Optatus, impoſsibile putans vt fiat hectica, non præcedente caliditate in fieri, quæ ſit dyſcraſia diuerſa. Ægritudinum quæ fiunt ac inæqualium cauſæ vt ad multum ſunt internæ, & adhuc præſentes hecticæ aut ſcheticæ, de quibus Galen. corpus, ait, ſubinde alteratur omnibus cauſis conformi inter ſeſe concordia conuenientibus, ſubinde verò ob contrarias facultates inter ſeſe diſcrepantes, atque interim vincunt illæ quæ ſunt vel numero plures, vel tempore diuturniores, vel robore potentiores, interim ab vtriſq; ex æquo corpus noxam ſuſcipit, accidit autem vt idem corpus ſimul & calidius & frigidius, aut ſimul & humidius & ſiccius quàm pro naturæ habitu reddatur, vocatur autem hæc intemperies inæqualis, idq; non ab re. Acutorum cauſa triplex eſt, calida humorum qualitas, vt in cauſo, magna eorum quantitas, velut in ſynochis, & periculoſus eorum ſitus, vt in angina, Symptomata quoq; valde moleſta acutos morbos quandoq; pariunt, veluti dolor, conuulſio, & febris continua, quæ in acutis omnino

Lib. de hect.

Cauſa mor. ficntiũ & inæqual. lib. de cauſ. morb.

Cauſę acutorũ & chronicorum. 2. aph. cõ. 19. 2. de dri. fi. c.

no ſolet adeſſe, rari enim ſunt ex ipſis quibus non adſit, vt apoplexia. Morbi longi

Cauſæ communium. Lib. de flat. & nat. hu. 1. de dri fi. c. 2. prob. 88. Cauſæ ſporadicorum. Lib. de flat. 1. de dri. fi. c. Cauſæ contagioſorũ. Cauſæ hæreditariorum. 1. prob. prol. Cauſæ morborũ in inſtrumentis ſimplicium.

fiunt ob craſſos lentos & frigidos humores, qui nõ facilè cõcoqui poſſunt, & in patientibus partibus impacti ſunt. Communium cauſa aër putatur Hippocrati, qui manifeſta corruptione, vt ſentire videtur Galenus, aut occulta ſyderum influentia, vt indicat Aphrodiſeus, vitiatur. Sporadicorum cauſa ratio victus aſſeritur ab Hippocrate. Contagioſorum putredo euaporans, quam aër effundit in eos quos ambit. Hæreditariorum cauſa ex ſemine vitiato exiſtit, vt placet Aphrodiſeo.

Morborum in organis ſimplicium cauſæ externæ & internæ, vt figuræ vitiatæ in vtero, quum ſcilicet fœtus in eo malè conformatur, impeditus ſpermatis motus, materiæ quantitas vel qualitas non idonea. Vitiatę ab vtero, error obſtetricis, nutricis, vel ægrotantis, vtentis membris laxatis, vel fractis nondum firmis. Porrò prima ratione naturalem figuram lædunt proprij affectus in parte conſiſtentes, vt fractio, luxatio, colliſio vt in naſo, exciſio vt in oſſe, plenitudo partis vel totius vt in obeſis, vel elephan

elephantiaſi, defectus vt in colliquatis, atque phthiſicis. Per accidens verò ſeu per conſenſum ad affectam partem,illam vitiat tentio,partem in diuerſum inclinans: quæ fit in neruorum reſolutione, conuulſione, diſſectione, cicatrice prædura, atq; tumoribus præter naturam.

Concauitates meatusq; partium læduntur, quia aut coaleſcunt, aut conſtipantur, aut obſtruuntur, aut conſtringuntur, aut in ſeſe reſident,aut ipſarum oſcula aperiuntur. Coaleſcunt ab exulcerata interna meatus facie. Conſtipantur à caruncula,tuberculo, tumore'ue præter naturam. Obſtruuntur à multo craſſo lento humore, grumo vel callo. Conſtringuntur ab aliquo extrinſecus comprimente.Reſident in ſe ab aſtringentibus coacta, à frigore conſtricta, vel ab exſiccantibus exarefacta: Ipſarum oſcula aperiuntur ob aërem calidum & humidum, medicamenta vim aperiendi ſortita,inſtrumentorum laxitatem, retentricis imbecillitatem,expultricem immodicè motam.

Aſperantur læues partes, acri humore vel vapore aut medicamentis abſtergentibus. Læuigantur aſperæ, contrarijs cauſis,

lentore pinguedineq́; humoris.

Numeri deficientis cauſæ, refrigeratio membri ſubſtantiam corrumpens, reſectio, vſtio, & putrefactio. Quæ fit propter tranſpirationem prohibitam per conſtipationem, medicamenta putrefacientia, & excrementa in animali genita. Superflui naturali ſpecie, vtilis materiæ multitudo. Specie præter naturam inutilis materiæ copia.

Magnitudinis excreſcentis cauſæ, multitudo vtilis materiæ, valida potentia. Minutæ, cauſæ contrariæ: & ſectio, vſtio, putrefactio, mortificatioq́; partis ab immodico frigore.

Morbi in poſitu & conſociatione cauſæ externæ, motus ſubitarij & vehementes. Internæ verò humor in articulis copioſior ligamēta humectans & laxans, ſupercilia ſeu prominentiores oſſis partes fractæ, articulorum cauitates ſupinæ, parumq́; profundæ ab initio factæ. Recedunt præterea partes à ſitu proprio propter ineptam earum coaleſcentiam, appendiculum aliquod aut ligamentum laxatum vel ruptum.

Cauſæ morborum in inſtrumētis cōpoſitorum.

Morborum in organis compoſitorum cauſæ, ex prædictis facilè componuntur.

Contin

Continui ſolutionis cauſæ externæ, erodentia vt ignis, medicamenta acria atque cauſtica, item tundentia, rumpentia, frangentia, contundentia, & incidentia. Corporales verò motus animalis incompoſiti, & intentior actionis vehementia, humores praui & erodentes, & plenitudo ad vaſa. Itaque immodicus calor & frigus proximè accedunt vt vnitatem ſoluant. Quo fit vt non perperã dixerit Hippocrates omnem morbum vlcus eſſe. Galenus enim doctè vt omnia, explicuit, quonam modo calidum & frigidum continuum diuellat recenſuitq; quod neceſſe eſt vel ruptionem, vel contuſionem, vel eroſionem eſſe affectum eum qui continuitatem diuidit. Igitur vulneris cauſa inciſio, fracturæ, & rhogmes vis magna, eutopes acutum irruens & incidens, diacopes & hedræ incidens: Thlaſis corpus aliquod validum, irruens & collidens: Enthlaſis ictus compellens partem colliſam in ſeſe, ita vt cauitas appareat: vlceris humores deprauati & erodentes: Conuulſionis inanitio aut repletio.

Cauſæ ſolutionis vnitatis.

Lib. de euchy. & cacochy. & 1. aph. com. 3. Lib. de dyſc. inæqua. 4. ſimp. c. 1. 12. ther.

Symptoma, vt vult Galenus, eſt quicquid præter naturam accidit corpori, exceptis morbis

Symptoma quid. Lib. de dri. ſy.

Symptomatū differētię. Ibi. & 12. ther.

morbis & caufis: fecatur in actionem offenfam facultatis animalis & naturalis; qualitatem mutatam vifilem olfactilem gustatilem & tactilem, & in excrementi immodicam tum excretioně tum fuppreffionem. Tamen fi omne fymptoma fit ens permanens, vt velle videtur Gal. actio læfa fymptoma non erit. Actio verò læditur tripliciter: quia vix, quia vitiosè, quia nullo modò fit: non folùm facultatis animalis & naturalis, vt opinor, fed vitalis etiam, vt patefcit de pulfibus debili, inæquali, atq; deficiente per ἀσφυξίαν, qui omnes, quoniam recedunt à naturali pulfu, affectus appellantur: non tamen ignoro pulfus interdum inter vitales, nonnunquam inter naturales actiones à Galeno connumerari. Læditur præterea actio fi fupra modum intenditur vt in bulimia.

2. ther. 2. art. par.

Actio læfa virtutis vitalis. 6. de placitis Hippo.

1. de motu mufcu. & 1. de dypfnœa.

Caufæ fymptomatum.

Symptomatum caufæ funt morbi præfati primarij vel fecūdarij, fimplices vel cōpofiti, partium fimilarium vel inftrumentalium: de quibus Galenus verè θαυμάσιος (vt Simplicius teftatur) cùm generatim tum particulatim differuit tribus voluminibus: quorum fententiam primus quod fciam in tabulis

7. phyf.

tabulis graphicè expressit Dutempleus.

Iam ex symptomatis morborum indicia colliguntur. Quicquid enim ab aliquo tanquam à causa procedit, id illius esse signum constat: sic namq; oportet rem signatam signo connecti. Itaque σημειωτικὴν Herodotus theorices partem facit, quæ indicia decernit salubria, neutra, insalubria. Salubria ac neutra per accidẽtia (nam quæ constitutionem vnde actio nascitur, necessariò sequuntur, sanis quidem nobis accidentia, ægrotantibus symptomata nuncupantur) insalubria verò per symptomata. Quæ diuiduntur in memoratiua præteritorum, dignostica seu demonstratiua præsentium, & in prognostica futurorum. Ex primis vsus minor est, maior ex prænunciatiuis atque indicatiuis. Hæc autem sunt quæ vnà cum morbo inuadunt: differuntq; à signis quæ assident: quòd assidentia aliquando simul inuadunt, nonnunquam superueniunt, interdum non veniunt: haud enim sunt à morbo inseparabilia, neq; eorum substantiam constituunt, sed proprias faciunt differentias. Indicatiua ante alia artis opera, id est, præsagationem & curationẽ intelligi

Symptomata sunt morborũ signa. 5. de lo. aff. c. 7. & 6. aph. com. 16. Lib. introd. 1. ther. Insalubrium diuisio. 2. ar. par. Dignostica differunt ab assidẽtibus. 1. aph. cõ. 12.

Com.1.de officina med. 10.ther. volunt Hippocrates & Gal. Inire inquiunt Medicus debet artis opera initio ab affectuum cognitione accepto, curatio enim prouiſionem cognitionemq́; conſequitur, rationem pandit illius poëtæ ſenarius.

Non intellecti nulla eſt curatio morbi.

Lib. de officin.med. Sic etenim Hippoc. ſcriptum reliquit, Laborantium corpora ab initio protinus inſpici debent, quatenus ſimilia ſanis ſunt, quatenus diſſimilia: principiò à maximis, à facilimis, à quibuſcunq;, quomodocunq; cognitis: quæ & videre, & contingere atq; audire licet: quæ item odoratu, guſtatu, mente ſentiuntur. Quæcunq; enim notione aliqua depræhendimus, ſenſu vel intellectu depręhendimus, hisq́; duabus viribus tantùm cognoſcimus, vt Ariſtoteles exarat, & ſecundum Oribaſium omnis cognitio habetur aut ſignis aut cauſa, aut interroga-

Lib. de ſom. & vi. tionibus 4.aph. Hinc intelligi poteſt, quòd omnia indicia medicus ſenſu æſtimat, partim ſuo, partim alieno (nempe ſpurcas res olfacere aut deguſtare honeſti viri non eſt, ac multò minus honorifici conſultoris) vel mente contemplatur diuidendo, numerando,

1.1. do, ac perficiendo, vt inſtruit Auicēna: aut demon

demonſtrando demonſtratione ſcilicet me diata aut ſimili demonſtrationi modo: qui fieri poteſt efficientium cauſarũ (quæ ſunt res naturales, & non naturales) atque effe-ctuum meditatione. Vnde ex laborantis temperatura, habitudine, ætate, ſexu, parentibus, conſuetudine, regione, anni tempore, victus ratione, arte ſigna ducuntur. Item fidi medici, vt refert Ari. ægrotantium ſomnia diligenter exquirunt: ſunt enim paſ-ſionum animæ & corporis indicia. Rurſus iuuantia & lædentia ſiue per ſe, ſiue per accidens, cauſæq; externæ ad affectuum cognitionem conducere commemorat Gal. Ex his liquet, quòd medicina non ſolùm eſt ſcientia de ſignis & cauſis, vt finiuit Herophilus, ſed etiam per ſigna & cauſas. Galenus dignoſticorum notitiam duplicem facit: alteram ſcientificam, alteram coniecturalem. Prior eſt quæ certis definitiſq; notis comparatur, vt pleuritidis & dyſenteriæ cognitio. Poſterior probabilibus ſuggeritur ſignis, ſeu coniectura artificioſa. Quæ media putatur, inter exactam notitiam, & omnifariam ignorantiam: qua de Hippo. meminiſſe creditur, quum ait, de occultis

Lib. de ſom. & vi.

1. de lo. aff. & 1. & 4. ther.

1. at. par. 1. de lo. aff. 5. de t. ſ.

Lib. de plen.

1. de lo. aff. & de criſ. Lib. de flat.

Artificialis notitia. morbis opinione potius quàm arte iudicatur. At Galenus multò aliter atque ille sentiens, inuenit non tantùm occultos morbos, verùm & dispositionum rarò euenientium quasdam artificiali deprehendi posse notitia, nonnullas verò artificiosa coniectura: cuius vim rectam esse testatur. Certas notas idem vocat τεκμήρια, hoc est, indicia: probabiles σημεῖα, id est, signa. Illæ quidem necessariò, hæ non necessariò arguũt. Harum quædam sumuntur ab essentiæ ratione, aliæ ab actione læsa, quædam verò à casibus. Primæ secundum Haly. necessariæ veritatis, secundæ apparentis, tertiæ plurima ex parte veræ sunt. In interioribus tamen morbis, certiores esse quæ ab offensa operatione ducuntur, autor est Auic. Actio læditur, affecta parte similari à qua fit actio: aut ab actione vtili (hoc est per quam melius, vel sine qua nõ fit actio, vel per quam cæteræ conseruantur, id est, nutriuntur, viuunt, muniuntur) aut instrumento ipso: offenditur prçter hæc non modò læsis eam efficientibus vel ei commodantibus prædictis partibus: sed etiam connexis & illarum actione motis: sic respiratio læditur affecto

Artificiosa coniectura.

3. de lo. aff. c. 3.

3. prog. cõ. 41.

2. ar. par. com. 7.

2. phen. I.

ventr

ventriculo, hepate, liene, quia hæ partes cum diaphragmate reſpirando mouentur. Et recto inteſtino vel vtero inflammato fit ſtranguria. Caſus dicuntur quæ ſine medio offenſam ſequuntur operationem, veluti ſunt mutatæ qualitates,& excreta. Mutantur autem qualitates viſiles per hepatis, ventriculi, lienis, hæmorrhoidarum vteriq; affectus: in cachexia, alpho, luca, elephantiaſi. Olfactiles, vt in diarrhæa, dyſenteria, ſphacelo, necroſi'ue, & putridis omnibus. Guſtatiles, quando lingua per morbum vitioſo humore inficitur. Tactiles, vt in calidis ac frigidis ægritudinibus, leucophlegmantia, œdemate, ſcirro. Item pellis laxa redditur in tabe, tenſa in phlegmone. Excrementa ſunt affectarum ſedium partes: vel ea quæ in ipſis continentur: vel aliquid quod morboſas diſpoſitiones ſequitur, idq; vel ſolas, vel ſemper, vel magna ex parte. Proinde res adhærens ſeu innata ad excrementa attinet: qualis eſt in grandinoſi ſuis lingua & carne, grando: in carie inæqualis oſſis craſſities: in meninge fungi qui ſi fracta calua meninx per abſceſſum afficiatur conſpici ſolent: vt explanat Raſis.

5.aph.58. 2.ar.par. 1.de lo.af. 6.epi.

Excremẽtorũ differẽtię. 3.de lo.aff. c.3.

Ari.8. de hiſ. ani. 1.de lo.aff.

15.contin.

Hi ſimiles creduntur lucernarum fungis: de quibus Maro inter ſigna pluuiæ in hunc modum cecinit,

1.Georg. *Nec nocturna quidem carpentes penſa puellæ*
Neſciuere hyemem, teſta cum ardente viderent
Scintillare oleum, & putres concreſcere fungos.

His excrementorum differentijs interdum locus, nonnunquã diſpoſitio, aliquando locus & diſpoſitio, aut locus vnà cum cauſa deprehenduntur: etenim ramentum (quod eſt propria ſedis ſubſtantia) per meatum naturalem, vel præter naturam excretum vlceris meatus, vel partis hoc meatu vtentis ſignum eſt. Contenta in ſpatio ſecundùm naturam affectum patefaciunt: vt cibi & potus non mutati multa excretio, lienteriam & diabeten. Contenta in ſpatio præter naturam locum, diſpoſitionem, & cauſam indicare poſſunt: vt vrinæ ſabulum ac deiectio ſeminibus cucurbitæ aſſimilis, lithiaſim & latos vermes. At generales locorum notas Galen. ſumit, & ab actione læſa, & excrementis, & poſitu, & doloris proprietate, & proprijs accidentibus. Affectuũ verò & ab excrementorum ſpecie, & loci natura, & doloris proprietate, & proprijs acci

Locorum 5. ſigna.

Affectuum 4. ſigna. 1. de lo. aff. 2. de criſ.

accidentibus. Actio læsa nonnunquam locum & affectum demonstrat, vt pulsus serræ similis in pleuritide. Ad eam pertinet proprietas doloris & accidentium : doloris proprietas locum , dispositionem atque causam declarat : veluti punctorius dolor membranarum phlegmonem, pulsorius inflammationem ad arterias , hemodia dentium , & infixus intestinorum passionem. Grauis in capite plenitudinem testatur, cũ erosione vel humorum, vel vaporum acrimoniam: qui cum pulsibus fiunt, inflammationem: qui cum tensione sine pulsu & grauitate , spiritus tenuis & flatulenti redundantiam : si cum pulsu membranæ inflammationem , cum grauitate copiam intra membranas contineri significant. Accidentium proprietas affectum portendit, vt vngues adunci tabificum morbum: horror per febrem intempestiuus inflammationis suppurationem , color in vniuerso corpore vitiatus hepatis, splenis passorum, vel hemorrhoidarum indicium est. Accidentia propria sunt quarumlibet partium propriarum actionum noxæ : propriæ autem actiones dicuntur quæ nulla alia parte vt instrumento

2.de lo. aff. c.1.

3.de lo. aff. c.9.

2.de lo. aff. c.2.& 3.

to fiunt. Iure ergo produnt affectam ſedem, quam etiam poſitus ſufficienter commõſtrare poteſt: ſicut loci natura affectum parti eſſe aut proprium, aut alieniſſimum. Sed ſignorum omnium conſcriptam methodo ſyllogen adeò frugiferam nuperrimè edidit do. Iac. Syluius, inter præclaros Lutetiæ profeſſores vt peritiſs. ita præcipui nominis medicus.

Præſagiorũ vtilitas. Prognoſtica prudenter enunciata ægros reddunt obtemperantes, ac efficiunt vt audentius illi medico ſeſe committant, medicumq; non tantùm ab omni calumnia liberant, verùm ad ipſius gloriam etiam conducunt. Quare vtiliter monet Galen. vt ante curationem præſagiamus, præſertim in deſperatis irremediabilibusq; malis, ne euẽtus rerum noſtro adſcribatur errori. Mala, inquit Hippocrates, quæ grauia videntur, & talia non ſunt, ſunt curanda: at cùm verè grauia ſunt, non tamen talia ſe oſtendunt, inſtruit vt medicus ſe ſubducat: eſt enim prudentis, cum qui ſeruari non poteſt, non attingere (videlicet ante præſagitionem) nec ſubire ſpeciem eius vt occiſi, quem ſors ipſius peremit, vt idem, & poſt eum

[Margin notes: 3.ther. & 1.r. a.cõ.5. — Lib. de art. & Gal. in cõ. 4. — Lib. de arte.]

eum Celsus refert. Quod autem Galen. ait, deploratos non oportet curare, sed magis absistere, & morbi finem pronunciare, durius dictum videri potest: siquidem ægrotantes sine remediorum spe relinquere, ac sinere periclitari desperatione, non modò contra bonos mores est, vti censet Apuleius, sed & impium: quando medici animus (si quid Scribonio credimus) plenus misericordiæ & humanitatis esse debet. Idcirco præstiterit in extremis etiam malis, vsque ad experientiam procedere, ad difficultatem affectionis compescendam, vt consulit Ætius. Celsi quoque sententia, satius est in omnibus rebus anceps experiri auxilium, quàm nullum: sed præcipuè in curandis morbis: quorum dubia magna ex parte, & ad salutem & ad lethum præsagitio existit: propter ignoratam cùm morbi, tum virium laborantis magnitudinem: quæ certa scientia edoceri nequit. Vnde Galen. Ille, inquit, melior prædicendo est, qui minus errat. Sunt etiam quædam proprietates hominum sine quarum notitia nō facilè quicquam in futurum præsagiri potest, vt opinatur Celsus. Atqui ita incognitæ sunt proprieta

Lib.5. 2.aph.cō.29

Quod deplorati sint curandi.

Lib.3. de asi. au.

In prol. compos.

Lib.13.

Lib.2.

Præsagitio omnis dubia.

1.aph. cō.12.

1.ad glau.

2.progn.cō. penul.

Lib.2.

3.ther.& 1. ad glau.

prieta

prietates, vt indictæ, & explicari non possunt, vel Galeni testimonio. Hinc est quòd omne prognosticum crepum dubium'ue est: quodq; interdum moritur aliquis, de quo medicus securus primò fuit: atque adeò accidit nonnunquam, vt deserti à medicis conualescant: sicuti idem Celsus narrat, cui Auicen. & Auerrh. astipulari videntur, haud enim omnes moriuntur quibus mortalia signa insunt, vt plurimum tamen certum esse præsagium debet, vel raro saltem à veritate aberrare.

Lib. 2. 4. phen. 4. & 7. collec.

Prognosticum salubre futuram prænunciat sanitatem. Insalubre futuram præsagit ægritudinem. Neutrùm neutram prædicit dispositionem. Bonum quod salutem præmonstrat. Malum quod periculum portendit. Perniciosum quod mortem significat. Lethale dicitur de his, qui ex necessitate sunt morituri: & de his qui magna ex parte. Insalubre igitur instantis futuri'ue morbi est. Cuius præsagia sumuntur ex his quæ secundùm naturam sunt, qualitatibus vel têporibus permutata: aut ex his quæ præter naturam: sed minora his quæ morbis adsunt. Quæ verò præsentis morbi longitudinem

Præsagiorũ differentiæ. 2. ar. par.

1. progn. 6. aph. cõ. 18.

Præsagia instãtis morbi. 2. ar. par.

Præsagia lõgitudinis vel

nem vel breuitatem denotant, ducuntur ab ægrotantis habitu: nam febricitanti ſi corpus nullo modo contabitur, longitudinem morbi ſignificat. Ex pulſu, Magnus, vehemens, citatus, creber, acutum morbum indicabit. Contrarius longum. Ex morbi motu & ſpecie. Febres vrentes acutum oſtendunt morbum. Mitiores & veluti elangueſcentes, diuturnum. Quæ autem ſalutem vel mortem prænuntiant, deſumenda ſunt à virium & morbi fortitudine: ſiquidem ſumma totius præſagitionis eſt, conferre vim morbi cum ægri facultate. Aduertat ſemper (vt Galen. ait) medicus animum his duobus ſibi mutuò contrarijs, morbo & naturæ: primò ex fortioris cognitione vel ſeruatum iri, vel perditum hominem prænoſcit: deinde alterutrius exceſſu certum morbi tempus præſagit: etenim citò morbus, ſi virtus fuerit robuſta ſoluetur. Sin imbecillis illa, morbus autem validior, mors accelerat: ſed exceſſus magnitudo tempus termini indicabit: nempe ſignum exitiale hominem moriturum ſignificat: & ſi valde exitiale fuerit, citò: ſi verò remiſſius in longo tempore. Porrò virtus ſecundùm Ariſt.

breuitatis morbi præſentis.

2. aph. 28.

Lib. 2.

1. prog. cō. 6.

Lib. de cōſti. ar. med.

1. de criſ.

1. de ani. 1. phe. 1.

&

& Auicen. eſt ipſa anima: ideo valida vel imbecillis per ſe non eſt: ſi enim ſenex oculum haberet vt iuuenis, videret vtique vt iuuenis. Sed talis nuncupatur ad proprias col-

Lib. de plen.

lata functiones. Quum verò natura valida ſemper functiones probè obeat, vt teſtatur Galen. conſequens eſt, quòd infirma in omni ægritudine (in qua ſcilicet ſenſilis operationum offenſa perpetuò adeſt) ſit facultas, aut parum aut multum. Quæ multum, ſimpliciter imbecilla effertur: iuxta illud Galeni, ſi morbus ſit fortior virtute, nō neceſſariò virtus eſt debilis. Virtutis robur, infirmitasq; dignoſcitur. Primò ex functionibus principalium partium cordis, hepatis, cerebri. Secundò ortorum à principalibus, arteriarum, venarum, & neruorum. Tertiò eorum quæ à ſeipſis gubernantur, & à principijs quaſdam habent deriuationes. Quartò ex caſibus. Functionum itaque principalium maximè neceſſaria cordis: deinde hepatis, ad cuius portionem etiam ventris opus ſe habet. Cerebri ad vitam quidem par eſt momentum, aut maius (quum ab eo affecto velocius mors, quàm ab hepate prodeat) non tamen par robur

Locus Gal. enodatus. 3. de criſ.

Virtutis robur & debilitas quì noſcitur. 2.ar. par.

eius

eius in ægrotantibus requirimus. Reliquorum organorum non actio, sed ministerium est ad vitam necessarium, vt exarat Galen. à quo dissentire videtur Alsaharanius, qui cerebrum ipso corde magis necessarium ad vitam existimauit. Proinde ex tribus virtutibus initium mortis aut vitæ ostendentibus, semper vna duas vincit, aut duæ vnam: sed non semper duæ vnam: vt scienter adnotauit Oribasius: veluti si naturalis virtus valida sit, debilis autem fuerit spiritalis & animalis, spes tamen vitæ superest: ergo quando suprascriptæ duæ minantur mortem, & naturalis valida fuerit, erit spes vitæ. Si verò naturalis debilis fuerit, tunc vincunt duæ vnam. Istuc indicasse videtur Hippoc. hunc in modum scribens, νούσων φύσεις ἰητροί, hoc est, morborum medicæ sunt naturæ: id est, facultates naturales: per quas natura (vt recenset. Galen.) morbos finit. Morbi fortitudo intelligitur ex offensa facultatis læsum corpus gubernantis, vehementia symptomatum, præstantia afflictæ partis, magnitudine essentiæ, atque contumacia affectionis. Nec omnis magna ægritudo est fortis, & parua de-

7.ther. Lib. theori. 1.aph.cō.26. 6.epi. 3.de crif. Morbi fortitudo & debilitas unde scitur. ex 4. & 7.ther.

bilis atteſtante Moſe 9. aphor. Morborum enim quidam graues ſunt qui tamen leues videntur,& è contrario. com.3.lib.de fract. Debilitas verò ex oppoſitis ſignificationibus pateſcit. In vniuerſum prænoſcitur futura ęgrotantibus ſalus vel mors, virtutis aut morbi magnitudine functionibus vel ſymptomatis præuiſa: ſiue per criſim, ſiue per diſſolutionem morbi terminentur.

De criſibus. 3. de criſ. Criſis nominis interpretatio.

Criſis nomen à tribunalibus tranſlatum eſſe Galen. autumat: vt enim illic de capitis periculo,deq; facultatibus omnibus eius qui iudicium ſubit, diſceptatur: ſic hîc de vita ægrotantis agitur. Tamen quia ad naturam iudicium nō pertinet,naturæq; opus

1. natu. virt.

& non animæ ſit criſis, ſecundùm Galeni dogma, quo vtriuſq; opera differre facit: criſim ſeparationem interpretari non ineptum fortaſſe fuerit: cuius cognitio maximè vtilis eſt ad auxiliorum pręſcriptionē: nā τὰ

1. aph. 20. 1. aph. cō. 36.

κρινόμενα καὶ τὰ κεκριμένα ἀρτίως, μὴ κινέειν. &c. id eſt, quæ ſeparantur,& ſeparata ſunt integre, vel pari dierum numero, hoc autem eſt, Oribaſio, per ſolam naturam, non mouere, neque nouare vel medicamentis, vel alijs incitamentis, ſed ſinere debes. Iſtis aſſentitur

tur Gal. inquiens, cùm perfectè natura mo uetur, medicamento opus non eſt: ſi verò mediocrius atque imbecilius agat, id quod deficit oportet ſupplere, vt ex vtroq; noxij humoris fiat euacuatio, natura quidem expellente, medicamento verò attrahente. Contrarium tamẽ dicere videtur primo ad Glauc. de diarthea in febri. Criſim quoque diffinit, eſſe ſubitam in morbo vel ad ſalutẽ vel ad mortem mutationem, quę fit natura ſeparante à bonis mala: & ad excernendum præparante: forſan eſt alteratio languentis ſubitaria ad ſalutem vel mortem: quam præ cedit morbificæ materiæ agitatio, ac conſequenter ægrotantis perturbatio (quibus enim criſis fit, his nox grauis eſt ante acceſſionem) deinde materiæ velox motus.

2. aph. cõ. 22

Criſis diffinitio.

2. aph. cõ. 13.

Præter hos duos criſium modos, quatuor numerat Gal. quum paulatim moritur, vel ſanitati reſtituitur laborans: aut ſi vehemẽs ſubita'ue permutatio accidat: quæ non ex toto aut liberet, aut perimat, ſed quod reliquum eſt ſalutis vel mali pedentetim contabeſcat: qui modus ſolutio magis quàm criſis vocatur: aut diſſolutio, ſi in ſanitatem finitur: & arefactio, ſi in mortem. Vnde criſis

Criſium ſex modi.

3. de criſ.

2. phen. 4.

Crisium species. ſis in plures ſecatur differentias: quarũ quæ
1.de criti. optima eſt, ſola propriè criſis appellatur.
Criſis manifeſta eſt cui excretio quædã vel abſceſſus inſignis ac conſpicuus adeſt. Obſcura huic contraria. Ad hanc reducere ſanationis genus, quo pueri per ſomnum longum interdum in priſtinã valetudinem re-
3.de criſ. ſerũtur, nihil prohibet. Cum ſignis accidit, quæ à contemplatorio die prius eſt indicata. Sine ſignis, quæ non indicata. Bona quæ ad ſanitatẽ. Mala quæ in perniciem deſinit. Tuta quæ ſine periculoſis accidit ſymptomatis. Periculoſa quæ cũ ſymptomatis grauibus fit. Fida quũ morbus redit nunquam. Incerta cùm morbi recidiua contingit. Abſoluta quæ in morbo nihil facit reliqui. Imperfecta cùm ex morbo quippiam relinqui-
1.aph.cõ.20. tur. Optima quæ cum coctione eſt, & in die critico fit, & ab aliquo indicatorio anteà indicatur: & etiam criſis modum facit morbo conuenientem. Peſſima huic contraria. Hinc palam fit, optimam criſim eſſe manifeſtam, cum ſignis, bonam, tutam, fidam & non deficientem, ſed perfectam.

Criſis cauſa. Criſim efficit expultrix facultas, vt vult
3. de crit. 1. phe. 1. Gal. quæ duplex eſt, ſecundum Auic. com-

munis

munis & propria. Vtraq; ſuo munere non 2.de cauſ.ſy.
fungitur, niſi triſte aliquid ſentiat:ſiue illud 3.nat.virt.
ſit moles nimia, pondus,& morſus:ſiue tan
tum duplex,alterum qualitate,alterũ quan-
titate:nam omnium excretionum cauſa,res
mordens, aut aggrauans. Inde patet, quòd 2.di dr. fe. I.
cocta morbi materia irritatrix exiſtit: quod de phleb. &
fortaſſis illi cõtingit ob cęcas proprietates, 6.aph. commen.1.
vt putat Bentius. Multoties etiam incidit, In gloſſ.4.
vt materia concoquatur, & natura in eius phe.1.
expulſione pigra reddatur.2.4.Eſt ergo vir- Criſis quorũ morborum eſt.
tus ad digerendum interdum valida, & ad
expellendum imbecilla, & tum fieri debet
conſilio Nicoli quod dicitur. 1. 4. ſi natura
non mouet, mouetur hora motus eius. Pa-
tet etiam quòd non in omnibus morbis cri
ſis efficitur: ſed in illis duntaxat euenit, qui
ſunt diſcraſiæ materioſæ,habẽtes magnitu-
dinem & motus velocitatem. Magnitudo 3.de criſ.
nominatur quando propria accidentia quę
ſimul inuadunt cum morbo,intenduntur:à
magnitudine mos diſtat, quippe qui ex ac-
cidentibus ſuperuenıẽtibus diſcernitur.Mo
tus velocitas ex breui duratione tẽporis par
tium acceſſionis deprehenditur in interpol
latis febribus: & ex longa ſtatus duratione

 in

Crisis in quo morbi tempore fiat. Morbi tempora.

in continentibus. Nec in omnibus morbi temporibus crisis accidit. Sũt autem morbi tẽpora quatuor, principium, augmentũ, vigor declinatio: aut vniuersalia, in quæ vniuersa ęgritudo distribuitur: aut particularia, in quæ singulæ accessiones diuidũtur. Priora ex morbi essentia, materiei alteratione, & symptomatibus Gal. distinxit: asseruitq; nullũ esse morborũ finientiũ qui non quatuor tẽpora percurrat. Nullus tamẽ salubris (si Ser monetæ credimus) symptomatũ statum habet: sicut nullus exitialis declinationẽ. Principium itaq; non tantùm dicitur de toto eo tempore, quo nullæ coctiones in excremẽtis apparent (nã etiam in principio concoctionis signa interdũ apparere scribit Gal.) sed & de prima morbi inuasione impartibili, deq; spatio tẽporis antequàm inuadat secunda accessio. In primo modo enũciatio, non fit crisis: aut si fiat perniciosa est: quoniam incipiente morbo nihil excernitur ratione naturę: bonamq; crisim coctio necessariò præcedit. In ascẽsu si salus sit secutura, crisis euenit deficiẽs & nõ secura: Sin mors, subitò interimit, vel magnam ad peius facit mutationem. Solùm ergo in statu vel parũ

Lib. de mor. temp. & 1. de cris. & crit. 3. r. a. cõ. vl. Lib. de g. m. tẽp. in quęst. 1. aph. 1. de cris.

3. de cris.

4. & 2. aph. cõmen. 22.

post,

post,optima crisis efficitur. Exquisita nanq; coctio fit vigoris tempore. Est autem ea vbi natura superior euasit, ac debellauit & restitit vehementiori morbi conatui, & quæ infestabāt oppressit. Quare nullum est mortis periculum tempore status symptomatum & vniuersali elapso. Alioqui in quolibet particularis accessionis tempore mors contingere potest. Sanè in principio, propter subitum humorum ad interiora motum. In incremento & statu, à vehementia paroxysmi natura superata. In declinatione verò vigore vitali resoluto.

Coctio quid 3. de crisi.

Mors in omni tēpore. 3. de crisi. 2. de crit.

Non dispariliter in quatuor accessionis temporibus (sæpius tamen in vigore) crisis euenire solet. Atq; sæpius efficitur in accessionibus: quòd in his humores vehementer moueantur: tum quòd in illo tempore ad excretionem illorum impellatur natura, simul quòd grauata & onere oppressa ad excernendum irritetur: simul quòd illis magis fusis & excretio noxiorū humorū prōptior, & crisis fiat facilior: vt commemorat Gal.

Crisis sępius in accessionibus fit.

Temporum signa ex quatuor depræhendūtur. Primò ex morbi natura. Acutus enim breuis temporis principium habet: Chro-

1. epi. com. 3. Temporum signa. 1. de crisi.

 nicus

nicus longi. Laborantis quoque natura & ætas, regio in qua decumbit, victusq; ratio, breuius vel longius principij tempus efficere possunt. Secundò ex anni tempore: nam morbi omnes qui æstate accidunt, ocius: qui verò per brumam, tardius omnia tem-
2.aph.25. pora assequuntur. vnde Hipp. æstiuæ quartanæ magna ex parte breues, autumnales longæ: & maximæ quæ cum hyeme copulant. Tertiò ex accessionum adinuicem collatione: etenim anticipatio magna plusquã proportio exigat, paroxysmi productio, eiusq; vehementia incrementum produnt. His autem cõtraria inclinationem. Quartò ex his quæ superapparent. Sunt nanq; epiphænomena vel euacuationes criticæ, vel signa harum, vel cõcoctionis significatiua.

Crisis in quo morbi die. Iam dies in quibus semper vel magna ex parte de morbis crises fiunt, crisimi nuncupantur. Quorum ratio solùm in his vera est, qui in morbo nulla ex parte delinquũt.
Dierum criticorum differentiæ. Alij sunt critici ex perturbatione. Alij indices, alij vacui. Crisimos id est, decretorios in
5.de nat.ani. morbis euenire asseruit Aristot. obseruauit Hippocr. Galen. & reliquus Asclepiadarum
Lib.3.c.4. chorus: repudiauit Asclepiades & Celsus.

Haud

Haud enim ratione, ſed ſola Hippocratis autoritate & experimento ſunt confirmati, vt aiunt Zoar & Auer. Dies noſtri diſtinguntur in quinque genera, in fortes, in malos, in mediocres, in indicatiuos, in intercalares. Critici variantur in fortitudine penes anni tẽpora & conſtitutiones, per ætates, ſexum, craſim, conſuetudinem, per tempeſtates, per errores ægrotantium, aſſidentium vel Medici. Er eo ſunt critici deteriores, quo fortioribus proximiores, vt 6. & 8. quia ſignificant naturam aberrare vbi minime debuit. Contra criſes eo fortiores, quo principio morbi propinquiores ob virtutis fortitudinem, fortiſſimus eſt. 7. poſt 14. inde 9. 11. 20. Inde 5. 4. 3. & 18. 1. de crit. Boni ſunt qui morbos cum fide & fideliter ſoluunt. Optimi 7. & 14. proximi his 9. 11. & 20. prope hos 17. & 5. poſt hos 4. hunc ſequitur 3. & 18. proin boni ordine ſunt 3.4.5.7.9.11.14.17.18.20. Malorum peſſimus 6. huic ſimiles ſunt 8. & 10. poſt quos deinde ſunt 12.16. 19. Vnde numeri ordine mali ſunt 6.8.10.12.16.19. Medius inter hos decimus tertius eſt. Vſque ad 14 efficaciſſimè criſes fiunt: deinde quæ vſq; ad vige-

ſimum habentur. Quæ poſt hunc vſque ad quadrageſimum ſuccedunt, paulatim vehementiam efficaciamq; remittunt. Primi tamen dignatione ſunt 27.34.& 40. Poſt hos ſunt 24. 31.37. Qui præter hos à 20. aduſq; 40. intercedunt, omnes ſine criſi ſunt: vt

Lib. 2. c. 6. Aegineta ſcriptum reliquit. Criſis in ſexta

3. de crit. die deteſtabilis, quia ſi morbus in imparibus ſęuiat non contingit in exacerbatione, eoq; recidiuam minatur, ſi verò in exacerbatione fiat, mala eſt: nam morbi qui in paribus exacerbantur malum finem conſequi ſolent. Verùm cum vrina multa contingit nonnunquam vt criſis in ſexta die bona ſit 19.contin.& 2.4. Criticos ex perturbatione illos vocat Gal. qui primariam decernendi rationem non habent: hoc eſt, ex lunari circuitu decernendi potentiam non ſunt ſortiti: ſed ob acceſſionum violentiam, ſeu magnitudinem ac velocem motum. Horum dierum princeps tertius eſt: ad quos reducere licet intercidentes & prouocato-

4.aph.36. rios: de quibus Hippocrates meminiſſe videtur his verbis. Sudores febricitanti ſi inceperint, boni & 3. die & 5. & 7. & 9. & 14. & 17. & 20. & 27. & 34. Indices & contem

contemplabiles ſolet Hipp. nominare dies in quibus aliquod ſignum apparet futuræ criſis indicatiuum in altero aliquo criticorum dierum: quos ipſe vnam quanque ſeptimanã in duas diuidens partes, per quaternarios digeſſit: veluti ſeptenorum quartus eſt index, alterius ſeptimanæ octauus eſt principium: & vndecimus contemplabilis eſt: ipſe enim quartus eſt alterius ſeptimanæ. Rurſus 17. indiciarius eſt: ipſe ſiquidem quartus à 14. ſeptimus verò ab vndecimo. item dies tertius iudicat quintum, & quintus ſeptimum, & ſeptimus nonum, ſecundũ Orib. 4. aph. Reliquos dies vacuos appellant Optatus & Nyphus: quorũ pręcipuus eſt 8. mox 10. deinde 16. hos ſequitur 12. poſt hũc 6. ſecũdùm quẽ ſecũdus habetur.

3. prog. & 2. epiſt.

2. aph. 24.

Dies vacui. Lib. ſuo. de criſi. & 2. de crit.

Criſimorum cauſa luna putatur Ptolomæo & Gal. quos Nyphus ſecutus: Criticorum, inquit, cauſa eſt lunæ peragratio per angulos plenos, indiciorum per angulos ſemiplenos, & prouocatoriorum per angulos ſemiplenos dimidiatos. Sed his plurimum reclamat Io. Picus vndecunq; doctus. Aſſeueratq; occultam proprietatem ſolam cauſam eſſe prefatorum dierum. Quorum ſupputatio

Criſimorum omniũ cauſa

Lib. centil. & 3. de crit.

Lib. ſuo 2. de crit.

Lib. 3. cõtra aſtrologos.

Crisimorum supputatio. putatio per dies integros fieri non potest: quippe quum nec annus, nec menses ipsi integris numerentur diebus. Galenus duos 3. progn. Hipp. lunæ menses, videlicet illuminationis & re- 3. de crit. uolutionis counit: ex qua coniũctione dies nascuntur tres & quinquaginta cum viginti horis: quem numerum in duo diuidens Mensis criticus. mensem criticum constituit ex sex & viginti diebus, cum horis duabus & viginti. Ex quo mense fiunt quatuor septimanæ, Hebdomada critici mẽsis. singulæ senos dies continentes, cum horis septemdecim cum semisse. Qua ex re horas circiter viginti, dies habebit.

Numerationis initium à morbi principio 6. phys. capitur. Quanquàm Aristoteli nullius motus sit principium accipiendum. In morbis 3. prog. qui à partu accidunt, crises numerat Hipp. ab ipsa diei hora qua pariunt: præcipuè si innaturalis partus sit, aut superuenientis Differentia 106. causa morbi, vt interpretatur Concil. Dies vigesimus primus est criticus Oribasio. hũc præfert Hippocrates lib. de diebus decretorijs vigesimo. Quando autem vigesimus primus est criticus, decimus octauus est indicatiuus. Critici item numerantur per septenarios, & indiciarij per quaterniones, hunc

hunc in modum. Duo primi ſeptenarij à ſe inuicem diducuntur, ſequens verò copulatur, vt vigeſimus dies tertij ſeptenarij nouiſſimus ſit, & quartus ſeptenarius à tertio diſiungatur: ſed quintus cum quarto, & ſextus cum quinto ſociatur: ex quo quadrageſimus dies decretorius, & finis ſexti ſeptenarij. Diducto etiam quouis ſeptenario in duos in eo quaterniones, quartus ab initio morbi dies finis erit primi quaternarij, & initium ſecundi: ac huius finis principium tertij: & ſic deinceps. vnde vigeſimus dies ſex quaternariorũ finis erit: dieſq; quadrageſimus duodecim, vt recenſet Gal. qui diem pro die aliquando ſupponere docet: nam quum die primo mediocriter habet ægrotans, quintum pro quarto accipit. Præterea in ſupputatione obſeruanda eſt humorum ἰδιοτροπία. Alij enim humores, alios motus habent. Siquidem bilioſus eſt alternis diebus: ſin pituitoſus quotidie: ſi verò melancholicus eſt, quarto quoque die naturam laceſſit. Rurſus acutæ ægritudines in imparibus, diuturnæ in paribus indicantur. 3. de cri. quæ exacuuntur in paribus, ſunt deteriores. 1. epi. & lib.. de decretorio.

2. aph. com. 24. & 3. pro. com. 1.

1. epi. com. 3.

3. de criſ.

torio. Hinc eſt quòd in quarto bona criſis ra rò fit, quia rarò cõtingit morbos ſalubres paribus diebus exacerbari, ita vt omnes acuti ſi boni, exacerbantur imparibus, ſi verò mali paribus. Et ſicut dies in aſſiduis computantur, ita in interpellatis acceſſiones. Quod enim in continuis vna dies poteſt, hoc in intermittentibus acceſſio. Ideoq; in his fit criſis ſecũdùm numerum circuituum & non dierum: vt in tertiana & quartana.

4. aph. com. 89. & 1. epi. com. 3.

Criſiũ ſigna.

Criſium omnium dignoſtica ſatis propalat eſſentiæ ratio, quæ ex prius definitis earum differentijs petenda eſt. Sed extra ea quædam ſunt criſima, id eſt, decretoria, alia concoctionis & cruditatis, quædam verò media. Criſima bifariam diuiduntur. Aliqua enim ſunt tanquam ſigna immi nentis criſis: vt colli dolor, vel temporum grauitas, vel tenebræ obortæ oculis, atque vertigines, & capitis dolores, & lacrymarum effluxus, facieſq; vna cum oculis rubens, aut labrum agitatum vel vigiliæ aliquæ, vel ſomnus grauis, & aſthma, & quædam anxietates anhelitus, & præcordiorum retractio & ſtomachi, vel nauſea ſufficiens, & æſtus & ſitis vehemens, & dolor cordis, & non

Signa criſima duplicia. 1. aph. cõ. 12.

& non posse recumbere, & delirare atque exclamare. Aliqua verò sunt tanquã causæ (quia morbum abigunt) & signa: vt vomitus, excrementa alui, multitudo vrinarum, sudores, sanguinis fluxus è naribus, parotides atque defluxus. Decretoria quæ non decernunt, quædam mortalia, inquit Hipp. 2. epi.
& quædam difficulter decernunt: etenim si morbo iam cocto superuenerint, futuram statim sanitatem denunciant. Si verò crudo adhuc morbo crisim non bonam: quæ scilicet ad perniciem agat, aut in longum tempus morbum producat. 1.aph. cõ.12.

Omnis crisis per abscessum vel excretionem terminatur. Sed in acutis per excreta magis fit crisis: & in diutinis per abscessus: tum præcipuè quum vrinæ tenues & crudę longo tempore exierint: & non multæ cum plurima residentia. Ea pars abscessu laboratura est, quam sudor vel dolor male habuerit. Ex quo Hipp. Resurgẽtibus ex morbis si quid doluerit, hîc abscessus fiunt. Lassitudinem habentibus in febribus, quibus item febres longæ, abscessus fiunt. In quibus futura crisis est, si quid ex emanantibus relinquitur ad abscessum morbus promptus est.

Crisis per abscessum futuræ signa.

3. prog. cõ. 1.
3. de cris.
4. aph. 32. 33.
31.
6. epi.

4.aph.47. est. Vrina alba, crassa, vel si etiam sanguis ex naribus sufficienter fluxerit, liberat ab abscessu. Abscessus maximè maligni sunt qui circa viscera: meliores qui per directum fiunt. 6.epi. Quibus ob laborantem pulmonem parotides oriuntur, & infernæ suppurantur, ijs secunda valetudo contingere solet. 2. prog. 6. epi. Quibus circa crisim parotides factæ non suppurauerint, his demolitis secundùm rationem recidiuarum, fit recidiua. Lib. de mor. qui extra. Morbi in alios mutati semper fere necant: siquidem corpus imbecille morbus alius superueniēs nactus, illa imbecillitate tollit, priusquam superueniens finiat, vt palàm est de ascite, qui hepatis vel lienis affectum consequitur.

Crisis per fluxum sanguinis futuræ signa. 3. prog. 3. de cris. Fluxurum è naribus sanguinem ostendunt, si cum capitis dolore oculi caligatione hebetantur, aut splendentia quadam cernere se putant, rubri apparent, illacrymantur. Lacrymæ enim non lubentes in febre graui sanguinis eruptionem de naribus præsagiunt, si cætera non periculosè habeant, inquit Hipp. 1. epi. 4. r. a. 3. aph. 29. Item sanguis, ait, de naribus fluxurus est, si manus tremunt. Rursus, adolescentibus accidunt sanguinis è naribus hæmorrhagiæ. His adde narium

prurit

pruritum & præcordiorum tensionem. Huiuscemodi crisi causus soluitur : & aliquando phrenitis. Lethargus & pulmonia sanguinis fluxum non amat. Inter ipsas pleuritis medium habet locum : minus enim quàm causus & phrenitis, magis autem quàm peripneumonia & lethargus hoc pro fluuio terminatur. Lienis & hepatis ac omnes quæ secundùm præcordia sunt inflãmationes simili finiuntur hæmorrhagia. 3. de cris.

Vomitum antecedunt cordis morsus, siue stomachi rosio, simul cum capitis dolore : vertigines, os sputo tenui plenum, labri agitatio, nausea. Os vomituri, vt refert Galen. sputo tenui plenum esse videtur, propter membranæ continuitatem, quæ ori toti interno continua est, faucibusq; & stomacho & ventriculo. Hinc fit, vt labrum inferius concutiatur ventris ore ad vomitum excitato. Vomitio non modicè confert causo, tertianis, & cauæ iecinoris partis inflammationibus. Et multi tertiana notha laborantibus, ea sola statim fuerunt sanati. Laudatur si pituita ac bile permixta fuerit : si non multa non crassa. Mala censetur syncerior, porracea, liuida, aut nigra.

Crisis futuræ per vomitũ signa.

3. prog. 3. de cris. 1. prorrhe. cõ. 1.

3. de cris. 1. ad glau.

Vomitio bona & mala.

1. prog.

nigra. Lethalis autem, si omnes colores in ea appareant. Item liuida, si graue olet.

Crisis futuræ per sudorem signa. 3. de crisi. Sudores præcedit aluus præter rationem astricta vel parca. Vrina suppressa. Rigor in causo superueniens. Partes corporis externæ calidiores, rubicundiores've. Pulsus

Sudor optimus. vndosus & insigniter mollis. Optimus sudor finit phrenitim & omnes febres: ac iuuat omnes quæ sunt iuxta hypochondria

4.aph.36.37. 59. 3. de crisi. inflammationes. Est autem talis qui oritur à concoctione & in diebus decretorijs, & emanat per totum corpus calidus. Ideoq; sudor qui in quarto die accidit, bonus non videtur: quòd morbus qui tam citò crisim habet peracutus sit. Qui per dies impares

Sudor malus. 4.aph.36.56. 1. prog. 4.aph.37. mouetur. Malus est qui in diebus crisimis non fit: nam morbi longitudinem & recidiuam significat. Et qui febrem non soluit, multam humiditatem, & consequenter morbi longitudinem præsagit. Frigidus & vbi totum corpus non insudat, sed caput tantùm aut facies, aut ceruix pessimus est: & in acuta febre mortem, in minori lon-

Lib. de coactis prænot. gitudinem prænunciat. Item supersudantes, difficulterq; ferentes in grauibus malum est, immodicus sudor laxat & vires debilitat

bilitat. 6. epi. in ſyncopem perducit. 1. ad glau. ſudores ſyncoptici apud Ætium.

Alui excrementa expectantur ſi cum decretorijs ſignis non adſit vomitus, fluxio ſanguinis & ſudorum ſigna. Quemadmodum vrinæ, ſi aluus aſtricta ſit (mictio enim plurima paruam ſignificat deiectionē) nec appareant vomitionis fluxus ſanguinis aut ſudoris notæ. Alui ſeceſſus vtiliſſimi ſunt in biliofis & reſimæ iecinoris particulæ morbis. At in conuexæ hepatis partis, lienis, renum, veſicæq; affectibus per vrinas excretionis, modus conueniens eſt. Super hæc noſſe oportet, quòd in bonis criſibus prænoſcendis ſcientia & firmitas exiſtit: contrà in malis plurima incertitudo: ſiquidem determinati ſunt & ordinati naturæ motus, quum valida fuerit, & materiæ dominatur, & proprijs rationibus operatur. Indeterminati verò ac inordinati, atque ideo incogniti quando ſuccumbit: vt Gal. ſentit. Imo & Ariſtoteles, Natura, inquit, ita fert, ne humor locis pluribus ſimul erumpere ſoleat, nam mulieri mariſcas habenti deteriores accedunt purgationes. Et quandiu lac emanat, purgationes magna

Criſis futurę per deiectiones ſigna. 3. de criſ. 4. aph. vl.

Naturæ motus.

3. de criſ.

ex parte non fiunt. 7. de natur. animal. Nos tamen vidimus Lug. anno 1551. bonam crisim in singulis febribus acutis variam, nempe per diarrhæam, simul cum hæmorrhagia & sudoribus calidis & vniuersalibus.

Coctionis & cruditatis signa. 1. de cris. & 4. de t. s.

Coctionis & cruditatis obscuræ, manifestæ ac perfectæ indicia excrementa continent: quando superfluitas cuiusq; partis eam quæ illi inest dispositionem ostendit. Veluti sputa instrumentorum respirationi seruientium, vrinæ venosi generis, deiectiones inferioris ventris. Proinde non in omnibus concoctionis signis eadem est dignitas.

De sputo. 2. prog.

Sputa coctionem vel cruditatem indicant sui colore, consistentia, figura, & ab eo quod celeriter & facilè expuuntur, vel non sine labore & multa tussi emittuntur.

1. de cris. 1. aph. com. 12. 4. r. a. 5. aph. 11.

Sputum Galeno est quod coctum existit. Expuitio quod caret coctione: vtpote aut biliosum aut serosum, aut atræ bilis mixtura infectum. Coctum vocat album, leue & æquale. Maturum inquit Hippocr. est puri simile. Si expuitio grauiter oleat, vt in his qui tabe molestantur, olfactu à medico non

co non æſtimetur. Hoc enim vt indecorum, ſic fallax contagioſum'ue eſt: vt alibi diximus. Lib. de his quæ ad medicum pertinent.

Vrina & ſudor eandem habent materiam, & eundem generationis modum: ſiquidem vtriq; ex bibito humore conſtat generatio, excalfacto ſimul in corpore & bilioſæ nonnihil ſubſtantiæ adepto. Eſt ergo ea ſerum ſanguinis, ſeu excrementum concoctionis quæ fit in curua hepatis parte, & venis quæ hinc proficiſcuntur: quod à renibus per emulgentes attractum in veſicam per vreteras collabitur. Vnde morborum muſculos infeſtantium haud ſecura eſt per vrinam ſignificatio: imo exigua. Galenus vrinæ ſignificationes omneis ſtrictim colligens, quum inquit, ex venis vrina veniat, in renibus autem percoletur, in veſica verò aggregetur, quicquid in ea præter naturam apparuerit, aut venas, aut renes, aut veſicam male ſe habere indicabit. Recentiores tamen non fruſtra addiderunt, aliarum partium notas ex eius regionibus, corona, atque bullis deſumptas. Vrina cocta vel cruda magis vel minus adiudicatur ſecundùm quod accedit vel recedit ab opti-

De vrina. 10. ſimpl.

4. r. a. cō. 84.

4. aph. com. 77.

ma ſanorum hominum, vbi concoctio ſecunda perfecta fuerit. Talis eſt ſubrufa & ſubflaua: & magis quidē ſubrufa quàm ſubflaua: hoc eſt, modicè crocea: vtpote ex humore conſiſtens cocto. Qui flauæ bilis parum recipit. Craſſitudine mediocris, ſubſidentiam habens albam, leuem, & æqualem, non diuulſam. Quæcunq; non eſt talis, ſimpliciter incocta putatur. In vrina ſecundùm Gal. & Auer. ſufficit æſtimare colorem conſiſtentiam & contenta. Ridiculumq́; eſt illam aut olfacere, aut guſtare more illorum ex quorum impudentia factum eſt, vt medici etiam qui in deorum albo habentur, laſanophori pingātur in templis. Et archiatri apud aulicos non alia nota hieroglyphica, quàm ſola matula in foribus domorum aut valuis albo depicta lapillo ſignificentur. O pudorem profeſſorum artis longè omnium nobiliſſimæ.

Vrina optima. 1. de criſ. 2. prog. cō. 30.

1. de criſ. Tria ſolùm in vrina notanda. 4. de t. ſ. 4. collec.

Laſanophori.

Coloris vrinæ cauſa externa, cibus, & potus: interna verò ac immediata, humoris cū liquore permixtio. Hinc illud Hipp. vrina concolor cibo & potioni taliſq́; exiſtit, qualis intus humidi colliquatio. Iure ergo bili nondum infecta aquæ alborem præſefert: quod

Colorū cauſa differētiæ ſignificatio. 6. epi.

quod aduertit Gal. Ad hanc accedũt remiſſi colores, albus, aqueus, criſtalleus, calceus, lacteus & pallidij, glaucus, oniceus & corneus. Qui omnes naſcuntur aut bilis tingentis abſentia (quæ euenit ob potentiæ humores concoquentis infirmitatem, vel bilis in alteram partem tranſpoſitionem) aut albi humoris pręſentia: vrina enim in morbis biliosis ad colorem croceum: & in his quos crudi committunt humores ad candidum tendit: Lacteam ex micto chylo ſe vidiſſe Clementinus recenſet. Pallidi videntur magis accedere ad colorationis principium: ideo vim concoctricis magis quàm remiſſi ſenſerunt: & his magis ſubpallidi: id eſt, ſubſpiceus, ſpiceus, atque his magis mediocres, ac iſtis cognati fuluus & aureus, à bile rubea ſanguinis'ue ſanie ſubrubeus & rubeus producitur. Ab eadem ſubuſta paſſeus ſeu hepaticus, à praſsina & eruginea, viridis, porraceus, erugineusq; generatur. Vineus ſubaſſati ſanguinis nota eſt. Niger, fuſcus, liuidus, indicus atri humoris ſoboles ſunt. Varius diuturniorem fore morbũ ſignificat: & oleaceus pinguitudinis liquationem. In ſumma colores ſiue exceſſerint mediocritatem, ſiue

2. de t. ſ.

Ex Actuario.

2. pg. cō. 26. In Clement.

Ex Actuario.

4. r. a.

ab eà recesserint crudi habendi sunt, vniuersali ratione: si credimus Actuario.

Lib.4. Substantiæ causa differētiæ & significatio. Lib.3.

Substantia mediocris concoctionē exactè factam arguit: & quantum illa à mediocritate destiterit, tantum concoctionē aberrasse demonstrat: eodem attestante. Igitur tenuitatis & crassitiei causa cruditas est. Tenuitatis, si à nuda dyscrasia, crassitudinis verò si ob aliquem humoris excessum naturalem caliditatem obtundentem cruditas eueniat. Item meatus oppilati tenues, aperti

4.aph.cō.69 crassos liquores emittūt. Crassæ fiūt, inquit Gal. natura expurgāte per renes totius corporis superfluitates. Quocirca crassas tenuioribus grauiores esse necessarium est.

2.prog.cō. Hisq; tenues deteriores esse, inde colligitur: quòd coctio crassiorē reddit nō solū vrinā, sed etiam deiectionē. Et in vniuersum fieri crassius quicquid concoquitur, affirmant

In glossis.1.4.&.1.1. Gentilis & Bentius. Tenuis micta, quæ talis remanet, vel paulopost cōturbatur, concoctione caret. Aquosa, hoc est, tenuis alba & multa diabetis est. Tenuis cui plusculū bilis

Tenuium & crassarū differentiæ. 1.de cris. rufæ miscetur exiguū coctionis patefacit: nā tenuitas à coloribus impeditur: licet colores à tenuitate iuuentur. Crassarum quoque

triplex

triplex differentia: quædam turbidè minguntur: mox subsidentiam faciũt. Aliæ turbidè exeunt, & tales vsquequaque permanent. Nonnullæ quum puræ exierint, post tempus perturbantur. Primæ parum quid de conturbatione inæquali superesse osten dunt. Secundæ agitationem in sanguine & conturbationem indicant: ex qua capitis dolor vt plurimum sequi solet. Tertiæ harum deteriores, coctionem adhuc nullam sortitæ sunt: sed concoqui incipere debent. Itaque quia calor congregat homogenea, & etherogenea seiungit: frigidum è diuerso & congenea & etherogenea counit & con gregat, fit vt accedente calore vrinæ perturbatæ clarescant: & hoc recedente etiam lucidæ crassescant, turbulentæ'ue reddantur. Multæ profluunt vel ex largiore potu, vt in crapula: vel ex seroso sanguine, ut in hydrope: vel ob renum dyscrasiam, vt in diabetica: vel quia reliquarum euacuationum corporis nulla processit. Mictio enim plurima modicam deiectionem Hippocrati signat. Paucæ contrarias ob causas excernuntur.

4. aph. 70.

2. de g. & cor.

Quantitatis causæ & significatio.

4. aph. 83.

Contentorũ causa & significatio.

Contenta quæ in fundo matulæ descen-

dunt, hypoſtaſes quæ conceſſerunt ad medium totius altitudinis encoremata, quæ
4.r.2.cō.44. autem peruenere vſque ad ſuperficiem nephelæ appellantur, id eſt, ſedimenta, ſublimia & nubes: à qua vrina nebuloſa Galeno dicta. Hypoſtaſis optima eſt alba, lenis & æqualis, per totum morbi decurſum reſidens: huic addidit Iſacus pyramidis figuram. Alba eſt quia ſuperfluitas tertiæ concoctionis, quæ ſolidioribus aſſimilari corporibus debet. Quæ non eſt alba, humorem cui concolor eſt auctum in tertia coctione denuntiat. Diuulſa & diſperſa à flatu perturbationem ad corporis profundum factam propalat. Intermittens ex humore cocto & incocto exiſtit. Proin longiorem morbum ſecuritatemq; minorem pollicetur. Copioſa apparet hypoſtaſis ſi largius, exigua ſi modicè, nulla ſi tenuiter viuitur. In morbis item ex crudis humoribus multa adeſt. In bilioſis modica aut nulla: ſed ſatis erit ſi adſit ſublimamētum, ſuſpenſio'ue bona. Hypoſtaſes orobea, furfurea, laminea, ſimilacea, aut à vaſorum excoriatione, aut ab extraneo calore ſolidas partes erodente, aut ab humoribus ſuperaſſatis, vel crudis

Lib. vri. 2. prog. cō. vl. & 1. de dr. ſe.
2. prog. cō. vl. & 1. de dr. ſe.
1. de criſ. Act.
2. prog. t. 26.
2. prog. cō. 26.

crudis ſpiſſatis efficiuntur, vt tradit Gal. qui de vrinis pluſquàm conueniat medicos ſcripſiſſe perhibet: de quibus nihilominus poſt eum latiſſimè diſſeruit Actuarius, illi inſiſtens methodo, qua in explanāda pulſuum ſcientia Gal. vſus eſt. Pingue deſuper natans, araneorum ſpeciem referens (quam vetulam vocat Laurentianus, fortè ad nomen alludens γραῦς, quo vocabulo & anus, & oleoſa in iuſculis & lacte ſuperficies Ariſtophani ſignificatur) ex colliquatione aut renum tantùm, aut totius corporis exiſtit.

2. prog. cō. 28.
10. ſimp.
γραῦς vrinæ,
2. prog. 35.
In pluto.

Deiectio eſt alui excrementum quod ex chylo in tenuibus inteſtinis creatur: non per ſeparationem à chylo, vt credidit gentilis & Forliuinus, ſed per alterationem magis quæ ad ſubſtantiam terminatur, veluti autumat Leonicenus. Eius denotatio capitur à conſiſtentia, figura, quantitate, colore, odore, ſono, temporeq́; quo excernitur: vt illa optima ſit, quæ mollis, continua, figurata, ingeſtis cibis proportione reſpondens, ſubruſa nec grauè olens, ſine ſtridore ac eo tempore ſecreta, quo in ſecunda valetudine aſſueuit. Ex hac qualis ſit mala egeſtio facilè intelligi poteſt: nam ſufficit altera

Deiectionū cauſa & ſignificatio.
16. 3. 1. 1.
Lib. de errori.
2. prog. 13. 1. de criſ.
Deiectio optima.

contr

contrarietas, & ad ſe, & ad ſuum perno-
ſcendum contrarium, eſt enim rectum (vt
1. de anima. Ari. placet) & ſui & obliqui index & regula:
obliquum verò neque recti, neque ſuimet
index eſt. Optima indicat inferiorem bene
2. prog. 13. valere ventrem: quod etiam nihil in eum
decumbit ex iecore, liene, aut toto cor-
pore. Mala ſignificat ventrem interdum ſo
lùm eſſe affectum, vt candidans vel ſtridẽs:
ſæpe verò decumbentis aliunde materiæ in
eum notas habet: vt flaua, quæ à bile pal-
lida gignitur: ſicuti viridis ab æruginoſa,
nigra ab atra, vel ſanguine retoſto, pinguis
ex adipis, viſcoſa ex ſolidarum partium cõl-
liquatione, fœtida admodum ex putrefa-
2. prog. cõ. 22. ctione. Hæ omnes exitiales cenſentur. Ver-
ſicolor multas indicat affectiones: quæ tra-
ctu temporis egent ad concoctionem, eoq́;
2. prog. cõ. 24. diuturnitatem præſefert. Spumoſa ex calo-
ris copia efficitur: vel ex ſpiritu flatuoſo:
2. prog. cõ. 18. qui humori ſolutu difficili permixtus eſt.
Quæ lumbricos habet ſub finem morbi nil
Lib. 4. nocet: vel (vt vertit Laurentianus) euntem
iudicationem morbo: cui verſioni aſtipu-
latur etiam Paulus: ſi natura hos expellit
deorſum, melius eſt quàm ſi ſurſum: ſi viuos
per

per febriũ initia malum. In ſtatu autem bonum eſſe exiſtimant Raſes & Tornamira. Si flatus ſine ſonitu excernitur, optimus eſt: melius tamen eſt ſi erumpit cum ſonitu, quàm ſi condatur, ac reuoluatur: hoc enim pacto incluſus inflationem efficit. In gracilibus inteſtinis acutum, tenuemq́; ſonum reddit: at in craſſis, ſi vacua fuerint ab excrementis, ſonum efficit bomboſum: quòd ſi humiditas aliqua in ipſis continetur, ab hac prodibit quædam bombi ſpecies, quam murmurillum Gal. vocat. Illud porrò monere haud incongruum cenſeo, vt medicus honori & mundiciei ſemper ſtudeat: & ſeſe ſubducat ab omnibus ſpurcitijs & ſordibus quibus contagioſus etiam fieri poteſt. Mundicitatem ac elegantiam in medio neceſſariam eſſe, vel hinc colligitur, quòd Hippo. & Gal. imperant vt illam medicus ipſis etiam ægrotantibus, in remedijs cum vtilitate præſtent.

7. conti. ſuper. 9. Alm.

2. prog. 24.

3. de cauſ. ſy.

Monitio ad tyrones.

Lib. de his quę ad medicũ pertinẽt.

Mundities medico neceſſaria.

Lib. de officina med.

Poſtremò ſigna media, quorum paulò antè mentionem fecimus, conſideranda veniunt. Sunt autem quæ à ſenſoris vel ſenſibus, pulſibus, & reſpiratione ducuntur: de quibus ſtrictim agentes à capite & facie ordiemur.

Signa media

Signa à facie

diemur. In qua omnis animi & corporis affectus ideò promulgantur, quòd in capite omnium instrumenta sensuum sint: vt scitè
Lib. 1. de patiẽ. In timeo. refert Mantuanus. non dissimili forsan ra-
2. prog. tione Plato asseruit: quòd dij capiti mem-
3. prog. & 6. epi. brorum omnium diuinissimo atq; principi totum corpus connexum subesse & parere iusserunt. Itaq; facies Hippocratica in morbi principio lethum minatur, in processu verò mediocre malum. lib. de sub fig. empir. Capitis dolor assiduus cum graui febre, cæterisq; malis signis, mortiferum. Facies optima sanorum faciebus, maximè verò suæ
Lib. de coa. prænot. ipsius similis. Quæ maximo discrimine ab hac similitudine recedit, grauissimum periculum portendit. Circa vultum color bonus, & sudores febre non carentibus malũ. Si vultus subitò cõtabescat, mortiferum est.
2. aph. 28. Lib. de coa. præno. Corpus nihil imminui, vel etiam contabescere plusquam ratio postulat, malum. Macilentis febris grauis superueniens, perniciosum est: licet obesi ex natura citius in-
2. aph. 49. tereant quàm qui graciles, vt explicuit Oribasius.

Signa ab oculis. Constitutionem totius corporis idcircò ex oculis scire licet, quòd hi membris alijs plus

plus animalis ſpiritus contineant. Proinde vbi viſoriȩ facultatis debilitas per morbum acciderit, certum eſt alia membra in quibus animalis ſpiritus non tanta copia eſt, debilitari, vti Gal.memorat. Si morbus per exordia valentior eſt, oculorum album nigreſcit: quod ſi purum ſit, certam ſanitatem portendit: ſi parum clareſcat, tardiorem: ſi multum,celeriorem. Oculi ſi lucem refugiunt, ſi lacrymant, ſi peruertuntur, ſi alter altero fuerit minor, & candida pars in eis rubra appareat,ſi venulas habent nigras aut liuidas, aut lippitudo angulis inhæreſcit,aut inſtabiles ſunt, aut tumidi,aut caui, fueritq; aſpectus horridus, hæc omnia exitioſa habentur. Si quid album commiſsis palpebris ſubinſpicitur, nec alui fluor aut medicamentum in cauſa eſt, aut non ita dormire conſueuit, exitiale. In febre non interpellata ſi oculus peruertatur, aut non videat, iam debili exiſtente corpore, mors proxima eſt.Oculi ferocitas delirium ſignificat: malum quoq; eius ſine ordine motus, & peruerſio. Palpebra ſi peruertitur, aut liuida eſt, lethale.Crebrò nictare, coniuere'ue malum.

6. epi. Ex Hipp.lib. de criticis. 1. prg. 6.aph. 52. 4.a. aph. 49.6.epi.lib. de coa. præno.

Aures

Signa ab auribus. Aures frigidæ contractæq; & fibræ earum versæ, malum. Obsurdæ in febribus

1. prog. 4. aph.60. aluo turbata sanantur. Surditas tamen in grauibus, malum est, imò pessimum signum secundum Ætium. Tinnitus in eisdē, mor-

3. prog. li. de coa. præno. 6. epi. tiferum. Auris dolor acutus cum febre continua, graue periculum minatur. Continuus

Gustare excremēta abominandum. in acutis, mortiferum. Sordes aurium dulces, mortales: amaræ verò non: vt prodit

10. simp. Hippocra. Sed quis honestus gustare tam abominanda sustineret? Talia Gal. ad morbos quidem curandos, quamuis vtilia, non tantùm fastidit, verùm detestatur etiam: estq; illi probrum grauius audire κοπροφάγον, quàm fellatorem aut cinædum. Itaque odore vel gustu retrimenta sentire ad ministros aut ægrotātes pertinere satis innuit, iubens, ipsum qui afficitur, gustare sudo-

4. de t. s. rem suum, quo certius internoscatur. Quā-

7. therap. quam etiam citra gustum sudoris dignotio ex solo colore facilis ab eodem asseratur. Sic quum asinæ corpus fricare, & ὄνθον, id est, asininum fimum olfacere mandat, huiusmodi iussa capessere non vir honestus, sed solus Agaso aut Mediastinus debet.

Signa à naso. Nasus compressius malum, & in quantum à natu

à natura receſſit, intãtum malus eſt. Quum nasus rubet, liquidi ventris ſigna ſunt. Si naſus peruertatur in febre continua, malum. Si æqualiter per vtraſque nares multus ſpiritus trahatur, neruorum ferè diſtentio ſuperuenire ſolet: id vbi acciderit, in propinquo mortẽ eſſe teſtatur. Lethale per cutem calidus vapor, vbi prius nares frigidum ſpiritum emiſerint. Deſtillatio ſternutamentumq; in omnibus morbis pulmonis, ſiue præfuerint, ſiue ſuperuenerint, periculum oſtendunt, quanquam in cæteris morbis vel periculoſiſſ. vtilitate non careant. Indicant enim concoctionem ac robur ſecretoriæ in cerebro facultatis. Sternutatio quoque bona, quando apud ſummum accidit vigorem.

1. prog. li. de coa. prænot. 4. aph. 49. 4. r. a. 6. epi. 2. prog. 2. 4.

Labra reſoluta, ſuſpenſa, frigida, candicantia, mortem portendunt. In febre continua ſi labrum peruertitur, lethale, eorum exulceratio tertianam interpollatam & debilem ſignificat. 17. contin.

Signa à labijs. 1. pg. 4. aph. 49.

Dentium ſtridor per febres præter conſuetudinem inſaniam ſignificat, & mortem. Si verò deliranti ſtridor quoque accidat, perniciosiſſimum: quia neruorum ori-

Signa à dentibus. 1. prog. 24.

go affecta, ob quam imbecillitantur musculi in temporibus & maxillis: & modo conuulsionis commouentur. Si mandibularum musculi conuellantur stridor dentium,
4. aph. 59. conuulsio dicitur. 2. de ca. sy. Quibus per febres lentore dentes opplentur, febres incidunt vehementes. Dentium stupor sydera-
Lib. de coa. prænot. tio'ue, suppurationem gingiuarum tollit: post quem si vehemens febris superueniat, deliratio'ue, mortiferum.

Signa à lingua. 6. epi. In aph. not. Lingua lotium portendit. Lutea biliosa est, rubra de sanguine, candida de pituita, nigra de bile nigra, sicca quadam vstione fuliginea. Lingua nigra cruenta'ue, quum quid malorum signorum abest, malum validum non est. Si lingua procedente tempore exasperetur, liuescat, findatur'ue, morti-
Lib. de coac. prænot. ferum est. Si valde nigrescat 14. die decretorium fore portẽdit. Periculosa est nigra & lutea: tremula mentẽ non consistere signat. Crassa & perarida delirantium est.

Signa à faucibus lib. de coac. pręno. 3. progn. 1. de prædit. Lib de coac. prænot. Fauces si in febre cum alijs signis malis vlcerentur, periculosum est. Quibus fauces valde dolent cum ferendi difficultate, pernicies hominis his præsens aduentat. Faucium vlcus cum aliquo ex malis signis periculosum

culoſum eſt. Puſilli faucium dolores in acutis ſtrangulant. Quibus leuia rubraq; in faucibus irritamenta ſunt, ſecundum aures his tubercula ſuſcitantur. Dolores faucium vehementes, ſecundum aures tubercula, conuulſionesq; faciunt.

Vox non irato talis, qualis eſt his qui irati ſunt, portendit furorem. Vox acuta, plangoſa, oculorum obſcuratio, conuulſorium eſt. Cum voce tremula ſi venter præter rationem ſoluatur, diutiusq; duret, pernicioſum. Quibus vox cum febre deficit, cumq; malo decretorio, tremulenti pereunt. Non loqui poſt dolorem, ſiue cum eo, aut cum reſolutione, aut ſuperrigentibus, mortiferũ. Vox acuta celer'ue, malum. Signa à voce 6. epi. Lib. de coa. prænot.

Ceruicis dolor in omni febre malum, ſcilicet ſi dolor propter cerebrum adfectum, vel eius membranas, vel ſpinalem medullam oriatur, ſi verò affectis quæ extrinſecus vertebram circumiacent partibus enaſcatur, malum non eſt. 1. pro. com. 2. In febre ſtrangulatio repẽte facta, lethale. Si collum peruertitur, & vix poteſt deuorare, lethale. Signa à collo. Lib. de coac. prænot. 6. epi. 1. de prædic. 4. aph. 34. & 35.

A tactu. In quouis morbo venter mollis corpulentusq; eſſe debet: eiusq; partes ad Signa à tactu. 2. prog. 2. aph. 35.

2. prog.l. de coa. prænot. vmbilicum & imum ventrem attinentes, craſsitudinem habere melius eſt. Securitatem pollicetur corpus, quod æqualiter molle & calidum eſt. Calorem ſępe mutare, vtile. 1. prog. Præcordia in vtraq; parte æqualiter mollia ſine dolore optimum. Tumida, dura, dolentia in vtraque parte maximum malum portendunt. In ſiniſtra tantùm minus periculoſum eſt. Præcordiorum venæ ſi pulſent, aut turbationem aut delirium ſignificant. In acutis frigus pàrtium extremarum, malum. 7. aph. 1. 4. aph. 48. Item ſi partes exteriores frigidæ, interiores vruntur, lethale. 2. prog. 4. aph. 66. & 65. l. de coac. prænot. Caput, & pedes, manusq; frigidas habere, ventre & lateribus calentibus, malum in acutis circa viſcera dolores malum. Et cordis dolor, malum. Coxæ genuum & ſurarum dolor, malum. Lumborum dolores in febribus prauis, repente diſsipati periculoſiorem fore morbum indicant. Æt. lib. 5.

Signa à motu. A motu ſecuritatem pollicetur corpus quòd facilę conuertitur, & ſurgit. 2. prog. 1. ad glau. Si facile malum ſuſtinet, bono eſt: ægri in tolerando facillitas ſuper omnia alia ſigna febris ſuauitatem indicabit. Grauitas quæ manus & pedes & reliquum corpus premit periculum

culum designat. Quòd si cum ea vngues & digiti liuore afficiantur, perniciem. Est enim grauitas maximum indicium præcipuumq; debilitatis potentiæ quæ in musculis & neruis tantummodo est: liuor verò extinctæ facultatis, quæ à corde emanat, signum. Delassati languentes malum. Et qui præter rationem imbecilli sunt, quum euacuatio nulla precesserit, malum. Conuulsio in acutis malum. Tremor in febribus ardentibus, delirio soluitur. Quibus in febribus sexto die rigores fiunt, difficilis crisis sequitur. Si rigor incidat febre non deficiente, ægro iam debili, lethale. Reliquas rigoris notas Hipp. latius est prosecutus. 4. aph. 60. 6. aph. 26. 4. aph. 29. ibi 46.

A sensu communi. Interdiu vigilare, noctu verò dormire oportet: à qua cõsuetudine si quis aberrauerit, peior est somnus qui inter quartam horam & noctem, quàm qui matutino ad quartam fit. Pessimum est si somnus neque noctu neque interdiu accedit. Id enim ob dolorem, laboremq; accidit, vel delirium futurum significat. Somnus & vigilia vtraque si modum excesserint, malum. In quo morbo somnus laborem facit, mortale. Vbi somnus delirium Lib. de coac. prænot. Signa à sensu cõmuni. 2. prog. 1. aph. 3. 1.

ſedat, bonum. Leues & turbulenti homines deliri leuibus de cauſis fiunt. 3. progn. com.3.In febrib.ex ſomnis timores,malum.

4.aph.67. Signa à vi principe. 2.aph.33. 1.prog.4.r.a. 2.aph.6.

A potentia principe. In quouis morbo mente conſtare, bonum: contrà ſe habere, malum. Delirium portendunt mali decubitus, manuum geſticulationes, lingua conturbata: item ſi dolentes dolorem non ſentiunt.

Qualis pulſuum doctrina, anq; Hippocrati ignorata.

Signa à pulſibus.

De pulſibus Hippocrat. non eſt executus, vel quia non nouerat, vel quia non magni momenti exiſtimauerat, ſi Galeno credimus, cui etiam aſtipulatur Protoſpatarius hunc in modum ſcribens, ὅτι ὁ ἱπποκράτης θεῖος ἰατρὸς οὐκ εἶχε γνῶσιν περὶ τῶν σφυγμῶν· ἀλλὰ τὰ πλευρὰ καὶ μέτωπον χειρὶ σύνηψε, id eſt, quod Hippocrates diuinus medicus pulſuum notitiam non habuit: ſed latera & frontem manu contingebat. At horum ſententiam minus probabilem facit, quod Hippocr. non ſolùm de ſpiratione egit, quæ propemodum pulſibus proportione reſpondet, quodq; ſpirationem & pulſum ſanitatis & morbi ſigna eſſe pronun

1.de criſ. Theop.li.de pul. & vri. Contra Gal. & Theoph. 1.progno. 1 de dypſn. Lib. de inſania.

pronunciet, verùm quòd dicat etiam pul- Lib. de præcep.
ſum ſæpe tentandum eſſe, iubeatq́; ne me-
dicus ad curam accedat, non ſpectata ma-
la arteriarum diſpoſitione. Quid? quod 1. de dr. pul.
Galenus fatetur Hippocratem pulſus no- 6. de placit. 1. epi. com. 3.
men primum vſurpaſſe, morborumq́; in-
dicia ex pulſibus collegiſſe. Porrò pulſuum
ſigna dignoſtica ſunt aut prognoſtica: hæc
honoratiſſima vocat Galenus, qui ſe mu-
lieris amorem in pulſu deprehendiſſe nar-
rat: ſimili calliditate qua ante eum vſus fue- 1. de digno. pul. lib. de prænoſc. & 1. prog. cõ. 11.
rat Eraſiſtratus: ſiquidem amoris nullus
pulſus eſt index. Vtrorumq; quædam cer-
ta, quædam verò fallacia ſunt: quippe pul- 1. de cau. pul. Li. de phleb.
ſuum, vt inquit Galenus, quorum gene-
ratio poſtulat vnam cauſam huic perpetuo
illi adhærebunt, & indicium erunt cauſæ
fideliſſimum, vt vehemens pulſus (præſer-
tim cum æquabilitate) virtutis valentis: at
quorum niſi plures ſint cauſæ conſtitui ge-
neratio nequeat: hos familiares eſſe cau-
ſis dicemus, non autem ſignificare certam
ex illis aliquam: hinc pateſcit quòd non
omnia pulſuum indicia ſunt incerta, pro-
pter cauſarum æquiuocationem, vt puta-
uit Capella: quare illud durius dici vide-

In epit.med. contra Capellam. Lib. 3.c.6.cõ tra Celsum. 1. de dr. vri. cõtra Actua rium. Lib. de sen. & sen.

tur, quod Celsus ait, venis credimus fallacissimæ rei. Itaque Actuarius autumat quòd tutior & promptior sit disciplina de vrinis, quàm quæ de pulsibus est: quoniam facilius sit visu, quàm tactu iudicare. Sed huic refragari videtur Aristot. secundum quem auditus est disciplinæ sensus, scilicet ab altero suscipiendæ: & visus ad disciplinas propria inuentione consequendas non mediocriter conducit: non tamen vsque adeò & tam efficaciter, hoc certitudinis nomine, veluti tactus, quem visu certiorem in homine esse vult: homo, inquiens, à cæteris animalibus in reliquis superatur sensibus, in tactu autem vno superat omnia. Adde quòd omnis scientia solùm verorum sit, vt idem docuit: atqui veritas non suscipit magis & minus. Omitto quòd vna scientia alia certior dicitur, non à subiecti sensatione, sed potius à demonstrandi certitudine: quę forsan in præfatis disciplinis par est: nam vtraq; & ordini inhæret, & doctrinali modo est tradita. Haud tamẽ negauerim in aliquibus paßionibus vrinam pulsu certiorẽ notam esse, & in quibusdam ediuerso esse pulsum vrina fideliorem, vt scitè notauerũt Forli

2. de anima.

2. de anima in præd. 8. topi. & 1. post.

Forliuius & Bentius: nempe in putridis febribus vrina humorum concoctionem aut cruditatem certius quàm pulsus indicabit: at febris essentia fidelius pulsu quàm ex vrina deprehenditur: pulsus est enim actio læsa partium primo affectarum, hæc verò solùm illarum excrementũ: & in his duobus symptomatis maxima in omnibus febricitantibus signa consistunt, vt refert Gal. nã rarò & nisi in pestilentibus morbis fallere possunt. Super phen. 2. 1. 1. ad Glau. 3. de præsa. pul.

Quæ in pulsu consideranda.

In pulsu contemplatur διαστολὴ, qui est motus distentionis, & συστολὴ, qui est motus constrictionis, quo de sensibilis ne sit, an insensibilis, vno volumine se disputasse Galenus testatur: & ictus qui est quum arteria motu suo tactui occurrit: & quies externa, quæ sequitur diastolen: quies interna, quæ sequitur systolen: namque inter omnes duos motus contrarios, quies interuenit, vt autor est Aristot. eiusq; approbator Auicenna. Vtraq; quies Galeno dicitur interuallum ictuum & systolæ. In pulsu insuper speculantur causæ, videlicet vsus, seu causa finalis, quæ est spiritus animalis nutritio, conseruatioq; naturalis caloris, Lib. de libris prop. 7. phys. & 2. 1. Lib. intro. pul. Lib. de vsu pul.

quæ fit refrigeratione ab attracta ſubſtantia per dyaſtolen, & purgatione fumidi excrementi per ſyſtolen. Lib. de vſu pul. Cauſa efficiens eſt 1. de cau. pul. virtus vitalis, vt opinatur Galenus, vel facultas, quam ſibi incognitam eſſe idem ingenuè fatetur: vel ebulitio humidi alimenti in corde & arterijs, quæ dum ſuſtollitur, Lib. de mor. & uit. dyaſtolen efficit: quum verò deprimitur, In. com. 3. ar. par. ſyſtolen parit; ſi credimus Ariſtoteli: huic opinioni Druſianus aſtipulatur: qua de re pleniſſimè diſſeruit etiam Forliuius. Verùm cordis arteriarumq; motus contrarios eſſe, hoc eſt, ex contrarijs terminis in contrarios terminos euadere (nam dilatato corde Ex Ariſt. 5. phyſ. conſtringuntur arteriæ) communis medicorum ſchola tenet. Id etiam ſic colligunt, quum cor contrahitur ſpiritum in arteriam magnam, & ſanguinem in venam arterioſam diffundit, eſtq; is motus cordis ſyſtole: quando verò cordis ſinus dilatantur, aërem 6. de vſu par. & 1. nat. virt. ex arteria venali, & ſanguinem ex caua cor aſſumit: qui motus propriè eſt cordis diaſtolæ. Arterijs autem dilatatis vitalem ſpiritum corpori illas communicare credimus, ipſasq; eo ſpiritu à corde repleri: quum verò arctantur, fuliginoſa excrementa expelli

pelli in confeſſo habemus: quare pugnantes motus cordis arteriarumq; eſſe relinquitur. Ex præfatis ſatis apparet quòd pulſus eſt actio (quæ interdum vitalis, aliquando naturalis à Galeno appellatur) peculiaris præcipuè cordis: deinde arteriarum, quæ diſtentione & contractione mouentur à virtute vitali, quo caloris natiui, qui in toto eſt animali, mediocritas retineatur: generetur autem in cerebro ſpiritus animalis, vt ex eodem colligitur, cui pulſus qui recedit à naturali non dicitur actio, ſed affectus, quoniam cor ſecundùm naturam non moueatur.

1. de dypſn. & 1. de motu muſc.

4. de dr. pul. 6. de placit.

A quibus deſumendæ pulſuum differentiæ.

Pulſus differentiæ capiuntur à mouente, mobili, ſpacio, ſeu triplici mobilis dimenſione, tempore motus, tempore quietis & conſequentibus. A mouente, fit vehemens & languidus, inter quos nullus medius eſt, ratione ſumpta à facultate, quia prior à valida, poſterior verò ab infirma fit: at tactus ratione, medius reperitur: nam quum à pulſu euertitur tactus, vehemens dicitur: quum tactus euertit pulſum, languidus: vbi neutrum fit, medius, vt tradit Galenus, &

Differentiæ à mouente.

alibi

1. de præsag. ex pul. 1. de cau. pul.

alibi diſputat, an vehemens pulſus naturalis ſit. Is forſan ſolùm naturalis eſt, qui fit in animante in ſanitate poſito: qui verò à validis naſcitur alterationibus (quas concitant ira, exercitatio, vinum) & cauſis præter naturam, non eſt naturalis. Hîc noſſe itaque oportet quòd ictus multis imponit, dum propter tenſionem robuſtus apparet: præcipuè inexercitatis, qui durum ictum à vehementi nequeunt diſcernere, vt notat Galenus. A mobili, arteria mollis vel dura eſt, plena vel vacua, calida vel frigida, vt ait Philaretus: vnde fit pulſus mollis vel durus, plenus aut vacuus, calidus vel frigidus. A ſpacio, quoniam omne corpus tres habet dimenſiones, in longum, latum, & profundum: fit pulſus longus, breuis, latus, anguſtus, altus, humilis, magnus, & paruus. Ex tempore motus, ad hunc enim pertinent celeritas (quæ eſt vis breui in tempore multa peragens, tam circa vocem & curſum, quàm cætera omnia, vt inquit Plato) & tarditas, ſecundùm Galenum: quas tamen non eſſe motus ſpecies affirmauit Ariſtoteles: hinc fit pulſus celer & tardus: ille deſignatur per lineam rectam, quæ breuiſ-

Differentiæ à mobili. Li. introd. 1. de cauſ. pul. Lib. pul. Differentiæ à ſpacio. Differentiæ à tempore motus.

In lache. 5. phyſ.

ſima

ſima eſt : hic verò per curuam , quæ longior. Differentiæ à quietis tempore ſunt pulſus creber & rarus : prior deſignatur per angulos acutos:poſterior verò per obtuſos, vt arbitratur Capella : nam acuti recti minores,vt obtuſi rectis maiores ſunt. Omniũ præſcriptorum pulſuum contrariorum medius pulſus eſt : quos omnes ſtaticis experimentis monſtrauit Cuſanus. A conſequentibus , vt pote ab æqualitate & inæqualitate,à conſonantia & diſſonantia:in omnibus enim prælibatis differentijs æqualitas aut inæqualitas accidit : hinc oritur pulſus æqualis & inæqualis : & hic poſterior eſt ordinatus vel inordinatus:ac inter hos nullus medius extat : porrò inæqualitas duplex eſt , ſimplex & compoſita , ſimplex fit in vno pulſu bifariam , in ſitu & motu. In ſitu quando ad omnem poſitionis differẽtiam arteria deducta eſſe videtur. In motu ſcilicet vniuſcuiuſq; pulſus priuatim in ſingulis partibus , dum manifeſto pulſus interciditur , vt δορκαδίζων, id eſt , caprizans : item quum recurrit : qualis eſt à bis feriendo vocatus δικρότος, hoc eſt bis pulſans. Συνηματικὴ, id eſt, compoſita ſeu collectiuà , quatenus

In epi. medi.

Lib. de ſtaticis experi.

Differentiæ à conſequentibus.

Pulſus æqualis & inæqualis,ordinatus & inordinatus.

Ex introd. pul. & 2. de cauſ.pul.

tenus poteſt alia alij, vna vni, vna pluribus, & multa multis commiſceri. Ad hanc pertinet pulſus fluctuoſus, vermicularis, formicans & hecticus, & decurtatus, duplex, riciprocus & non reciprocus, intermittens, qui ex inæqualitate raritatis & paruitatis conſtat: rariratis quidem quum quies eſt longiſſima: paruitatis verò, quum minimum diſtenditur arteria: deficiens & abolitio. Hæc ἀσφυξία dicitur, & in corpus viuum nunquam cadit, autore Gal. At deficiens pulſus nonnunquam naturalis eſt, vt in illo œconomo, cuius pulſus poſtridie à criſi per ſudorem in ſeptimo die facta, deficiens erat: non tantùm in vno ictu, ſed in alio numero: quod ei natura accidiſſe ſtatim deprehendit Galenus: & non ex coincidente aliqua cauſa morboſa: vt medici qui ipſum curabant, opinabantur. A conſonantia poſtremò & diſſonantia pulſus differentiæ accipiuntur. Eſt autem conſonantia (quam Græci rhythmum vocant) vniuerſaliter quidem habitudo ſeu proportio temporis ad tempus. In pulſu verò proportio penes nonnulla tempora motus, ad tempus quietis: aut penes tempora motus ad

1. de præſa. pul.

Lib. de præ-noſc.

Differentiæ à conſonantia & diſſonantia.

ad motum, aut quietis ad quietem: hinc fit pulſus eurhythmus ſiue concinus, nempe conuenit diſpoſitionibus naturalibus habentis eum, vt loquitur Auicenna: & arhythmus, id eſt, expers conſonantiæ: non quòd ea penitus careat, ſed quòd rhythmũ habet peruerſum. Hic autem triplex eſt, pararhythmus, hoc eſt, penè conſonans, nam parum recedit à conſono: heterorhythmus, id eſt, diſſonans, qui magis recedit à concino: & ecrhythmus, hoc eſt abſonans, qui conſonantiam penitus ſubuertit. Præter hæc notauit Ægineta rhythmi inæqualitatem menſuram eſſe motus, qui celeritate & frequentia conſiſtit, & hanc veluti materiæ rationem ad rhythmum obtinere.

2. 1.

Lib. 2.

Quomodo tangendi pulſus.

Tangenda vena in brachiali: nam venam pro arteria dicere, non eſt adeò abſurdum vt putat Taurus apud Gellium: quando arteriæ olim, vel teſte Gal. dictæ ſunt venæ. Sed in dextro potius quàm in ſiniſtro pulſum tangimus. Quoniam vt ait Oribaſius 3. aph. arteria quæ oritur ex dextra aure cordis plus ſpiritus habet, vt illa, quæ

Lib. introd. pul.
Lib. 18. noct. Atti.

quæ à ſiniſtra aure naſcitur plus ſanguinis. Vbi verò pulſus carpi occultatur, arteria tarſi rectè ad ſecundum digitum poſt maximum tangenda 3. de anat. admin. Porrò tria requiruntur ad bene tangendum natura appoſitiſſima ad ſentiendum, tactus exercitatus, & ſenſibilibus decenter admoueri, vti idem commemorat, vnde manus vt moderatæ molliculæq; ſint, & ad pulſum tangendum appoſitę, chirothechatas haud rarò habere medicus debet: quarum vngues mundos & ægrotanti gratos eſſe vult Hippocrates: hoc eſt, nec nimium eminentes, nec nimium deficientes: nam ita exarat, ὄνυχας μήτε ὑπερέχειν, μήτε ἐλλείπειν. quod eſt, vngues neque eminere, neq; deficere oportet. Itaque tres ſunt modi applicandæ manus arteriæ, comprimendo, palpando, & medio modo: hic conuenit contractioni, in qua ſeſe exercere candidati debent, vt quæ minus ſenſu queat percipi, ita vt quibuſdam medicis putetur inſenſibilis, vt ſcribit Galenus. In externa quiete non eſt premendum, in interna verò comprimendum eſt. Vehemens pulſus premendus, lãguidus non item. Celeres & tardi

Contra Taurum.

7. κατὰ τόπ.

3. de digno. pul.

Manus medici chirothecatæ.

6. epi. & lib. de med. vulnerarij officio.

Lib. introd. pulſ.

Lib. de libris prop.

& tardi non leuiter palpandi, vt eiuſdem monumentis relatum eſt. 1. & 1. de digno. pulſ.

Quòd naturalis pulſus ſit intelligendus experientia, vel communi natura, ante eum qui in ægrotantibus præter naturam eſt.

Apud Plutarchum ſcriptũ reperio, quòd nullus ſui pulſus peculiares rationes ignorare debet. Itaque quòd naturalis pulſus neceſſariò intelligendus ſit, ante eum qui præter naturam eſt, fatetur Galen. eſt enim naturalis aliorum omnium menſura quædam & regula. Naturalis habet æqualitatem: & ordinem: nam ordo & æqualitas naturæ ſi quid aliud familiaris eſt: eſtq; eurhythmus & moderatus: id eſt, inter exceſſus medius: non omnis tamen moderatus eſt naturalis, vt ſcitè Galen. declarat. Cognoſcitur autem naturalis pulſus experientia, arteriam crebrò tangendo integra ſanitate præditis, aut præcognitis communis naturæ pulſibus: ex temperamento & habitu tam naturali, quàm aſcititio, ſexu, ætate, item ex anni tempore & regione. Vna nanque calidorum, alia frigidorum eſt communi-

Lib. de t. ſ.

2. de dignoſ. pul. & lib. de prænoſc.

Naturalis pulſus quid.

Lib. de prænoſc. 2. de cauſ. pulſ.

1. de cau. pul.

1. de cau. pul.

Communis natura.

tas: ſimiliter in gracilibus & craſſis, in viris & mulieribus, in iuuenibus & ſenibus communis natura exiſtit, rarumq; eſt in ſingulis communitatibus, quod non multis ſit aſſimile, quare etiam à vero aberrare illi eſt rarum, qui communitatem examuſſim per-

Pulſus tẽperamẽtorum naturaliũ & aſcititiorũ.

nouit. Calidiores igitur natura pulſum maiorem, citatiorem, & crebriorem multò, vehementiorem non item multò habent. Graciliores natura maiorem & rariorem multò, vehementiorem haud multò. Temperamenta corporis acquiſititia, aſcititijq; corporis habitus, naturalium modo pulſus

Pulſus ſexuũ

immutant. Viri mulieribus magna ex parte tum maiorem, tum vehementiorem longè, tardiorem paulò, & aliquantò rariorem pulſum edunt. Prægnantium pulſus ſi mutantur ob virtutem ex fœtu grauatam, vt credit Philaretus, ſunt parui, frequentes, citati: ſi verò ex ſolo vſu adaucto mutentur, vt retur Galen. ſunt maiores, crebriores &

Lib. pul.
Pulſus ætatum.

celeriores. Infantis pulſus creberrimus eſt: rariſſimus ſenis: omnes qui inter hos intercedunt, proportionem ſeruant, prout vel ad puerum, vel ad ſenem propius accedunt: celerrimus item pueri pulſus. Senis

tardior. Reliquarum ætatum pulſus inter hos ambigunt: at ſenex à puero longè magis raritate quàm celeritate diſtat. Maximus eſt vt in ætatibus, pulſus iuuenum: minimus ſenum: medius & paulò maior puerorum. Vehementiſſimus ætate florentium. Languidiſſimus ſenum. Medius puerorum. Vere medio pulſus ſunt maximi & vehementiſſimi, vt in temporibus: celeritate ac frequentia moderati: pari modo medio Autumno: procedente Vere magnitudo vehementiaq; decreſcit. Celeritas & frequentia intenduntur. Ad finem ineunte iam Æſtate, languidi, parui, citati & crebri fiunt. Autumni progreſſus omnia imminuit, magnitudinem, vehementiam, celeritatem & frequentiam. Ita Hyeme aduentante, in paruitatem conuertuntur, & remiſsionem, & tarditatem, & raritatem. Media Æſtate, parui, languidi, celeres, & crebri. Hyeme parui, languidi, tardi & rari: non perinde tamen ſunt parui Æſtate vt Hyeme: nec ita Hyeme lãguidi, vt Æſtate. Nec aliter iuxta regiones variant: nam in vehemẽter calidis, vt media Æſtate ſe habent. In frigidis multum, vt media Hyeme.

Pulſus temporum.

Pulſus regionum.

Lib. introd. pulſ.

me. In temperatis, vt medio vere, veluti Galen. ſcriptum reliquit.

De cauſis mutationis pulſuum ex quibus eorum indicia deprehenduntur.

Pulſus mutatio à cauſis naturalibus, non naturalibus & præter naturam obuenit: naturaliumq́; cauſarum & non naturalium ſecundùm quantitatem exceſſus, in id quod præter naturam eſt, tranſeunt, vt inquit

Lib. introd. pulſ. Galen. prælibatæ cauſæ ad duas reduci poſſunt: ad cauſas alterationis, quæ ſunt præcedentes & externæ: & ad cauſas generationis, quæ tres etiam exiſtunt; videlicet facultas, inſtrumenta & vſus: hæ continentes dicuntur, citraq́; harum mutationem pulſus non mutantur, vt idem aſſerit:

1. de cau. pul. facultatis robur vehementem, & infirmitas languidum pulſum efficit. Arteriæ mollitudo mollem, duritia durum, plenitudo plenum, caliditas calidum, & frigiditas frigidum. Vſus augetur abundantia caloris, vel exhauſto animali ſpiritu. Sed caloris incrementum imminutio'ue non vnum ſemper pulſuum genus ſibi conſociat neceſſariò. Augmento tamen familiares ſunt magnus,

gnus, celer, & creber. Defectui paruus, tardus,& rarus. Speciatim verò vehementis causa facultatis robur est, nulla alia causarum renitente: vtpote vsu dissoluto, aut instrumenti duricie. Languidi facultatis solutæ imbecillitas, aliud licet nihil affuerit. Mollis arteriæ humiditatis comes est: quam humidiorem reddunt, quædam ex his quæ secundùm naturam sunt, & quædam ex his quæ sunt præter naturam. Durus fit propter instrumenti duriciem: quam refrigeratio immodica aut siccitas, aut tensio ab inflammatione profecta, aut conuulsio inducit. Plenus ex humorum copia, aut ciborum, aut vini potionis abundantia oritur. Vacuus ex contrarijs producitur causis. Calidus vt refert Paulus, multam in corde caliditatem, reliquo corpore refrigescente, aut conuulsoriam quampiam arteriarum violento motu incalescentium dispositionem fatetur. Longus fit à siccitate & eliquatione carnium circumiacentium, reliquis interuallis seu distantijs collapsis. Latus propter humiditatem potissimùm abundantem, vel secundùm naturam, vel etiam ab externis causis: vnde sæpe contin-

Vehementis & languidi causa.

Mollis & duri causa.

Pleni & vacui causa.

Calidi causa Lib. 2.

Lõgi, lati, & alti causa.

git in decretorijs excretionibus. Altus ob instrumenti mollitiem efficitur, facultate simul aucta, iræ peculiaris est, nisi in gracilibus, in quibus magnus per iram & non altus fit, vt ait Galen. haud tamen ignorans omnem magnum latum esse. Altus concitatæ facultatis foras, familiaris est: intro retractæ humilis: & hic speciem præbet latitudinis: quoniam oppositorum eadem disciplina, vt Aristoteli placet. Breuem, angustum, & humilem contrarias sequi causas consentaneum est. Magnus fit vbi robur virtutis validum, ac plus iusto abundans calor in corde collectus fuerit: & instrumentum obediens, vsusq; multus. Si verò magnitudo vsus non suffecerit, statim & celeritas accedit: quòd si nec sic quidem satis fuerit, mox frequentiam etiam assumit. Paruus à contrarijs fit occasionibus. Velox efficitur propter facultatis robur, & vsum multum. Tardus à contrarijs causis. Frequēs ob vsum multum. Rarus ob exiguum, & frigiditatem multam. Inde est quòd celeritas validæ, & crebritas imbecillæ virtuti peculiaris putatur. Inæqualis non euenit ex vsu immutato, sed ob offensam faculta

2. de caus. pul. 1. de dr. pul. 4. de caus. pul. 6. top.

Magni, velocis, & frequētis causa.

Inæqualis causæ. 3. de cau. pul.

cultatis vel inſtrumentorum. Offenditur autem facultas trifariam: quia debilitatur, quia grauatur, quia diſſoluitur. Imbecillitatur quidem per ſe, puta ex intemperie, aut valida eſt ſua ſponte. Sed opprimitur à cibo, vel à copia, vel à cacochymia: ad quam refer inſtrumentorum vitia, quæ ex hac habent originem. Diſſoluitur autem vacuationibus immoderatis. Virtus imbecilla per ſe, aut ſoluta facit pulſus languidos, paruos, tardos. Grauata onerata'ue, varios inæquales. Graui onere preſſa plurimos languidos, tardos, & paruos excitat. Leui onere preſſa pleroſq; vehementes, celeres, & magnos. Quum verò nec admodum grauis, nec nimium leuis offenſa ſit, ferè vt in copia, contrarios creat: vt nec plures, nec pauciores ſint vehementes imbecillibus, vel magni paruis, vel celeres tardis. Inæqualis pulſus etiam fit ob inſtrumentorum læſionem, videlicet inæquali cordis dyſcraſia, ac arteriæ reſtrictione: quæ oritur ex humoribus offuſis arteriæ: vel ex ſanguinis copia in venis, qui premit arterias: vel ex tumore corporum circunfuſorum arterijs: hoc autem eſt ex arteriarum oppilationibus, tenſioni-

Virtus trifariã læditur.

2. de cauſ. pul. & 4.

bus, constrictionibus & pressibus. Talis erat omnigena pulsus inæqualitas in Antipatro ex angustia magnarum in pulmonibus arteriarum: quam effecerant crasi & viscosi humores, vel crudi tuberculi ortus, & non inflammatio, vt edisserit Gal. haud dissimilem pulsus inæqualitatem aliquot annis animaduerti in Do. Symphoriano Campegio Lugd. aurato equite. Qui longæuus paulatim in dypsnœam incidens, nuper ex hac vita migrauit, magno mortalium incommodo: nempe philosophus fuit acerrimus, medicus spectatiss. & theologus pijssimus. Itaq; ob claros eius natales, diuitias, elegantem corporis formam, vxorem nobiliss. ac probatiss. prolemq́; pulcherrimam, iure vixit non infœlix, quamuis mortalium nemo sit fœlix, vt Plinio placet. Ordinatos pulsus, inquit Paulus, minores offensæ procreant. Inordinatos verò maiores: in his tamen iuxta Galen. dogmata inæqualitatis causa non fixa & inordinatis causa semper firma est, ac fixa. Ex quo liquet quòd maior læsio obuenit à causa non fixa, quàm ab ea quę firma est. Pulsus arctior seu depressus, id est paruus & inæqualis pertinet ad insultus putrida

4. de lo. aff. c. vl.

Laus Do. Symp. Campegij.

Lib. 7. na. hi.

Ordinati & inordinati causa.

2. de caus. puls.

1. de dr. fe. c. 9.

Arctioris causa.

putridarum febrium: in quibus quoniam maior eſt neceſſitas purgandi fumidum excrementum, quàm attrahendi aërem refrigerantem, ſyſtole velocior eſt dilatatione, ac frequentia in exteriori quiete conſpicua eſt: arctior etiam redditur pulſus collecto in ore ventriculi prauo humore, ſiue frigido, ſiue mordaci. Sed vbi frigidus ſit paruitas, vbi mordax inæqualitas exuperat. Pulſus inæqualiter citatus & caprifans febriles potiſſimùm calores comitatur: verùm ſi pulſus eleuationis principia diſſoluens, extremum ipſius acceleret, & ſubmiſſionis initium, putredinem exuperantem notat, natura fuliginoſis recrementis excernendis incumbente. Sin autem è cõtrariò ſubmiſsionis initium diſſoluerit, ad eleuationem verò magis inſtet, calorem præpollere magis ſcias, qui refrigerationem deſideret. Comitantur hæc in febri etiam crebritudo plurima ex parte: interdum magnitudo quoque niſi virtutem inſtrumenti duritia impediat. Bis feriens fit quando arteriæ duricies intenditur, & virtus valida eſt. Vndoſus humidiores potiſſimùm affectus ſequitur. At quum facultas diſſolui inceperit,

Caprifantis cauſa.

Bis ferentis cauſ. Vndoſi, vermiculãtis, & formicantis cauſa.

 ceperit,

ceperit, ſed paululum adhuc reſiſtat, fluctuoſus in vermiculantem decidit: vbi extremè collapſa fuerit, etiam hunc formicans excipit. Hecticus propriè contabeſcentibus accidit. Conuulſiuus quum neruorum origo inflammata quadam aflictione conflictatur: ſicut in phreniticis, & acuta epilepſia correptis. Turbulentus efficitur, quum vſus magnam eleuationem requirit: ac vitale robur eam poteſt creare: & ſolùm arteriæ corpus præ duricie in magnam attolli dyaſtolem refragatur: vt in magnis inflammationibus, obſtructionibusq; diuturnis. Serratus in totum index eſt inflammationis, & præſertim partium quarundam neruoſarum, vt Ægineta commemorat. Decurtatus oritur à virtutis imbecillitate. Reciprocus id eſt, qui ad priſtinum motum reuertit, à minori, & non reciprocus à maiori. Eſt enim permagnus in imbecillitate exceſſus & defectus: parua imbecillitas minores languidioresq;, non autem decurtatos pulſus facit. Quæ verò eſt hac tanto maior, vt iam facultati ſint oneri applicati digiti, hæc pulſuum decurtatorum autor eſt. Maior virtutis infirmitas inducit intermi

Hectici, conuulſiui & turbulẽti cauſa.

Serrati cauſa Lib. 2.

Decurtatorum cauſa.

intermittentem (qui etiam ſequitur inſtrumentorum validam oppilationem aut compreſſionem & conſtrictionem) & hac grauior, deficientem: qui non eſt totius functionis defectus, vti ἀσφυξία, ſed dimidiatæ amiſſio: iure ergo ſignificat vltimam imbecillitatem: ſcripſit ſuper hoc fuſiſsimè ac analytica tractatione, ſeptem decemq; voluminibus Galenus: quem Simplicius honoris cauſa, nunc quidem πολυμαθέςατον, nonnunquam verò φιλοπονώτατον, appellat. Præter hæc adnotauit Nicolus, quod ſi vnius carpi pulſus bonus ſit, alterius verò malus iudicium à bono eſſe deſumendum.

Intermittentis & deficiẽtis cauſa.

2. de cauſ. pul.

Sermone 2.

De ſpiratione ſeu anhelitu.

Reſpiratio propemodum omnis pulſibus proportione reſpondet: ſiquidem ex contrarijs motibus, quietum interuentu diſtinctis conflatur, eiuſdem vſus comparatur gratia, inſpiratioq; dyaſtolæ, & ſyſtolæ expiratio ſimilis eſt: tantumq; à pulſu diſferre videtur ex ſpecie motus, motriciq; facultate: vt ediſſerit Forliuius. Spirationem porrò vocat Galenus quum ambiens nos aër per guttur attrahitur, & rurſus foras mittitur. Eius partes duæ primæ, inſpiratio,&

Signa ab anhelitu.

Super. 2. art. par.

Lib. de dr. ſy.

Lib. de cauſ. reſp. & 1. de dypſnœa.

tio,&

tio, & expiratio: & duæ per accidens interiectæ quietes. Inſpiratio vt ait Ariſtoteles, eſt ingreſſus aëris, expiratio autem exitus. Hæc duplex exiſtit, cum & ſine ſtrepitu. Cum ſtrepitu efflatio, vehemens'ue ſpiratio denominatur. Reſpiratio itaq; gemina eſt, facilis id eſt, naturalis, & violenta. Hæc ſecatur in ſimplicem & compoſitam. Simplex quæ alterutram totius reſpirationis partē occupat. Compoſita quæ in pluribus conſiſtit. Simplicis differentiæ ſumendæ ſunt à quātitate aëris inſpirati, vel ſpatij per quod currit thorax reſpirādo, & à quantitate temporis quo reſpiratio perficitur, vel quieſcit: vnde fit, inſpiratio magna, parua, mediocris, velox, tarda, mediocris, frequēs, rara, mediocris. Ex his nouē differentijs mediocres non pertinent ad violentā. Æqualis & inæqualis media nulla eſt. Poſterior efficitur in vna motione, hoc eſt inſpiratione vel expiratione, aut in pluribus. Inæqualis in vna motione vel fit initio citius, & in fine tardius, vel è cōuerſo. Quæ verò interrupta in medio, breui quadā quiete eſt offendens ſpiritus & intercidens reſpiratio dici ſolet. Cōpoſitæ ſpecies ex iam dictis cōponūtur.

Lib. de morte & vit.
Lib. de vſu reſpi.
Lib. de cauſ. reſpi. 1. de dyſpnœa.
Simplicis differentiæ.
Inæqualis differentiæ.

Cauſæ

Causæ continentes, facultas, instrumenta ac vsus: facultas scilicet arbitraria: nam spiratio Galeno est actio voluntaria. Auerrhoi contrà est motus naturalis, vel mixtus ex naturali & voluntario. Scaliger rectè argutatur, quod mistus motus non debet dici, sed potius indifferens: licet ab vtraq; vi fieri possit: quodq; voluntaria actio in membris mera nulla est: habet enim instrumenta naturalia sed naturalis actio duplex est. Mera vt concoctio: & cohærens voluntati sed non semper, vt anhelitus. Instrumenta sunt tria. Alia spiritus commeationi iacent, vt nares, os, pharinx, aspera arteria. Alia excipiunt animam, vt pulmones. Alia hæc mouent, vt thorax musculis agitatus, & septum transuersum. Quod respirationis instrumentum dicitur, vtpote præcipuum: nanq; cùm secundùm naturam animal se habet, solum sufficienter pectus mouere potest. Num pulmo sit proprium inspirationis instrumentum, vt velle videtur Aristoteles, disputat Conciliator. Vsus duplex est. Maior insiti caloris custodia: calor enim per immissum spiritum refrigeratur, attracti aëris non substantia (qua non opus est cordi)

Lib. de vsu respi. Lib. de voce & respi. & de motib. liq. 2. collec.

In com. de somn. Hip.

Lib. de caus. respi.

7. de vsu par. & 5. de loc. affe.

3. de part. ani. dr. 99. Lib. de vsu respi.

cordi) ſed qualitate, & per emiſſum purgatur fumido vapore. Minor animalis ſpiritus nutritio. Qui an aëre nutriatur, vt aſſerit Galenus, ambigunt peritiores. Galeno ſuffragatur Manardus. Ex his euidentiſſimum fit, quòd virtus offenſa, inſtrumenta inobedientia, & vſus immodicè auctus vel imminutus ſunt omnium cauſæ dypſnœarum: ex quibus ſignificationes facilimè deprehenduntur.

Lib.18.epi.6.

Magna reſpiratio calorem natiuum, vel aduenticium, vel occupatam alijs mentem, ſeu delyrium ſignificat. Parua partium reſpiratoriarum dolorem vel caloris natiui refrigerationem: velox auctum calorem natiuum, vel partium reſpiratoriarum anguſtiam, vel earundem dolorem cum febre. Tarda diminutum calorem natiuum, vel partium reſpiratoriarum dolorem, ſine calore aucto. Frequens auctum calorem natiuum, dolorem partium reſpiratoriarum, cum & ſine febre, vel earũdem anguſtiam. Rara caloris natiui diminutionem, ſeu refrigerationem, vel mentem alijs occupatam, ſeu delyrium. Inæqualis vtraq; indicat facultatis motiuis imbecillitatem, arte-

riarum

riarum asperarum angustiam, obstructionem, compressionem, vel musculorum thoracem mouentium conuulsionem, tremorem, palpitationem: quę omnia latius à summo medicorum enarrata sunt. 2. de dyspnœa.

Cæterùm, præter naturam, res, morbum, causam, & symptoma abigit medicus curatione & prouisione, vel curatione vnà cum prouisione. Est enim curatio, morbi sublatio. Prouisio verò causæ efficientis. Eius nanq; officium est, causam quæ morbum creat, adimere. Itaq; morbum factum vera curatione sanabit medicus. Fientem curatione mixta, hoc est, ex vera curatione & prouisione. Futurum verò sola prophylactice. Quę distincta est à curatione mixta, quòd in hac iam sensibiliter ex ipsa causa morbus gignitur. In prophylactice est futurus. Symptoma nullam per se curationem obtinet: quia vnà cessat cum affectu vnde nascitur. Ex accidenti tamen curandi rationem mutat, dum causæ locum habet, id est, quando vires lædit & morbum auget. Ideo ex tribus symptomatibus actionum offensæ si contristant, solicitudinem medici ad se cõuertunt, affectumq; deserere cogunt.

Curatio & prouisio. 4.ther. 11.ther. 3. ar. par.

Curatio mixta distat à prouisione 11.ther. 2.aph.cõ.22

cogunt. Idem faciunt eorum quæ retinentur, vel expelluntur exceſſus. At genus quod in affectibus conſiſtit, alterius, vt Galeno placet: quem curare oportet affectus eſt ſignum: ipſum tamen nullam ſeorſum curationem exigit. Porrò curatio à ſanatione differre videtur: nam etſi omnis cura, vt prodit Plato, eo tendat, vt bonum & vtile ei quod curatur afferat: poſſibile tamen eſſe teſtatur Ariſtoteles, bene curari eos qui nullo pacto ſanari poſſunt: vnde omnis ſanatio eſt curatio. Non item è diuerſo ſanatio, eſt enim legitima curatio, & perfecta liberatio, vt ait Æt. lib. 4. Huius multiplex eſt differentia. Communis curatio cõmuni naturæ conuenit. Propria verò propriæ. Cuiuſq; hominis propria eſt curatio: vt refert Gal. Non enim hominem niſi per accidens ſanat, qui medetur, ſed Calliam aut alium, cui accidit eſſe homini, vt ſcribit Ariſtoteles. Ad communem curam confugere oportet, quum propriam ignoramus, ne omnino hæſitemus. Atque in communi præſtat artifex inexpertus experto non artifice. Contrà in propria expertus non artifex artifice non experto certius operatur: quoniam

12. ther.

Curatio à ſanatione differt Ariſt. in euthyphro. 1. rheto.

Curationis differentiæ.

Curatio cõmunis & propria. 1. ad glau. & 3. ther.

3. metaphyſ. ethico.

quoniam ſingulare melius percipit. Curatio propria exacta ſcientia comprehendi nequit: nec aliquo doctrinali modo: quòd cuiuſque naturæ proprietas ineffabilis ſit, nec exacta ſcientia comprehenſibilis, vt aſſerunt cum Porphyrio reliqui philoſophi. Sed noſci tantùm multifaria exercitatione ac experimento poteſt: teſte Aphrodiſeo, & conſequenter arte propria inuentione comparata: quam qui habet, ipſum experimentum habere neceſſe eſt. Hæc itaque ars actiuæ ſcientiæ eſt aſſocianda. Quod etiam Galen. innuere videtur, inquiens, non licet vllius artis ſcientiam nanciſci, niſi & methodum quandam habueris per vniuerſalia theoremata: & in particularibus te exemplis exercueris. Item qui finem, ait, cuiuſlibet artis conſequi parat, duobus inſtrumentis vti debebit: in vniuerſalibus theorematis methodo, & in particularibus exercitatione, artem igitur non ſatis eſt ratione ſcire vt ait Hippocr. ſed vſu experiri ipſam oportet. lib. de articul. Curatio vera in ſoluendo morbo intelligitur. Mixta verò eſt quæ tum ex vera curatione, tum prouiſione, quam prophylactice pars

Curatio propria. 3. ther.

In præd.

1. prob. prol. 1. metaph.

Ars actiuæ ſcientiæ cõſocianda.

9. ther.

Curatio vera & mixta. 11. ther.

Curatio iusta & χάρεξ. Lib. de frac. com. 1.

Curatio sanatiua & fucatoria.

Curatio vniuersalis & particularis. In charmide.

4. ther.

prima tertij.

artis præstat, componitur. Curatio iusta quæ laboranti omne id præbet, quod ei conuenit, & nihil prætermittit. Curationem χειρεξιν dixit Hippocrates pro vniuersa simpliciter rerum omnium admotione. Curatio sanatiua præter naturam affectus tollit, & in his nihil facit reliqui. Fucatoriam vocant recentiores, adblandientem siue leuem, quæ insanabilium morborum vehementiam contundit. Curatio vniuersalis ad totum corpus pertinere videtur, particularis autem ad partem. De quibus apud Platonem Socrates incantationis salubris modum Charmidi ostendens sic scriptum relinquit. Medici aiunt non posse oculis mederi, nisi prius capiti medeantur: neque caput, absq; totius corporis medicina posse curari. Hac de causa regulis quibusdam toti conferentibus vtuntur: & à toto ad partem transeunt restituendam. Proinde vniuersalis particularem præcedere debet. Itaque Gal. oculum, inquit, rectè sanare ante totum caput non licet, neque hoc ante totum corpus. Nisi (quod adnotauit Gentilis) materia esset pauca, vel morbus exiguus: cui sat esset topicum auxilium, citra totius

cor

corporis vacuationem. Particularis quoque In grab.
vniuersali præponitur, si membrum dans
non sit forte in dando, & recipiens auarum
in recipiendo, vt loquitur Mesues: aut si
membrum passum nulla consortij lege afficiatur:
Curatio per se quæ per contraria in Curatio per se & per accidens.
forma & gradu, vt aiunt phylosophi, fit. Ex
accidenti curatio quæ similibus peragitur.
Nam omnis curatio, inquit Oribasius, duo- 5.aph.cō.22.
bus præcipuè modis efficitur, aut à contrario,
aut à simili. Sic frigidæ larga perfusio
reuocans calorem in iuuene bene corporato,
æstate media, distensionem ex frigore
ortam tollit: vt ab Hippocrate proditum 5.aph.21.
est. Hæc medicatio licet quibusdam sit gratissima,
summopere tamen verenda est,
nec nobis citra necessitatem vsurpanda: ne
in eundem labamur errorem in quem non
paucos hoc medendi modo vtentes, demersos
esse memorat Auerrhois. Hinc est 7.collec.
quòd in curanda continuæ febris & putre- 11.ther.
dinis causa, Galen. deligit ea quæ citra calefactionem
siccationemq; valentem necessarias
vacuationes præstant. Curationem Curatio primaria & secundaria.
primariam complicatorum morborum ille
exigit, qui altero periculosior, vel alterius

causa est, vel qui nisi prius curetur, alter cu-
3.& 7.ther.1. ad Glau. rari non potest, vt ex Gal. colligitur. At vbi morbus cũ symptomate coierit, tunc morbum curare incipiemus, nisi symptoma morbo præualuerit, tunc enim symptomati curam adhibebimus, morbum verò cõsi-
4.phen.1. derabimus, si Auicennæ credimus: vt in vehementissimo colli dolore, vbi propinamus quæ stupefaciunt, quamuis per se collo noceant.

Curatio regularis & coacta.

Curatio quoque vna est in qua non aduersantur inter sese indicationes. Altera in qua illæ ex aduerso pugnant, vti ex-
7.8.& 11.the. planat Galen. Prior canonica, & posterior coacta à neotericis nuncupatur.

Curatio electa & non electa. Lib.7.c.7.

Celsus pręter hæc duo genera curationum recensuit alia in quibus eligere tempus non licet, sed vtendum est eo, quod incidit, sicut in vulneribus & fistulis, & plerisque alijs affectibus. Alia in quibus nullus dies vrget, & expectare tutissimum & facilè est: sicut euenit in his, quæ & tardè increscunt, & dolore non cruciant.

Tẽpus aptũ curationi electæ.

In his enim tempus accõmodum expectandum est: de quo Hippoc.
Li.de na.hu. meminisse videri posit, quum ait, Morbi diuturni qui hyeme augentur, æstate finiuntur. Et contrà, qui æstate creuerint, hyeme terminan

terminantur. Vernorum in autumnum expectanda est liberatio. Autumnalibus veris tempore defungamur, necesse est. De tempore item ad præcautionem neutris decidentiæ idoneo, sic scriptum relinquit. Quibuscunq; venæ sectio, vel purgatio cum medicamento conuenit, hos verè purgare, vel venam incidere oportet. Sed in his curationibus sex sequentia contemplari oportet. Primum an agendum, quod docebit præsagiendi ratio. Secundum quid agendum, id natura morbi indicabit, sui scilicet contrarietatem. Tertium quantum agendum, hoc Ægrotantis vires, & à naturali habitu recessus commōstrant. Quartum quomodo agendum, natura loci ostendit sua temperatura, substantia, positu, situ, figura, sensu, functionum nobilitate, vt docet Gal. 7. ther. & 1. ad Glau. His adde Ægrotātis mores, consuetudinē, ætatem, vitæ propositum, regionem, anni tēpus & cætera, ex 4. phen. 1. Quo tempore agendum, ex morbi motu & tempore patescit. Quo loco agendum affecti positura membri demonstrat.

Tēpus præcautioni in neutris opportunum. 6. aph. 47.

Iam verò omnis curatio siue morborum, causarum, siue symptomatū contrarijs perfici

Lib. de nat. hu.

2. de g. & cor. ficitur, vt autor Hippocr. eſt. Quoniam omnis actio fit à contrario: ceu demonſtrat Ariſt. Contrarium autem curatiuum, vel eſt natura, aut res præter naturam, vel ipſa curationis inſtrumenta. Natura vniuerſalis aut particularis eſt. Vniuerſalē Platoni Δημιουργὸν dictam, hoc eſt, opificem, quam id eſſe, quod Deum vocamus aſſerit Plinius, ſolam affectus ſanare Meſueus teſtatur, his verbis: ברך רופא בחלים אל: id eſt, ſolus ſanans languores Deus. Huic ſententiæ aſtipulatur Galen. qui votum vouit Æſculapio, ſeq; ab eo ſeruatum mortali apoſtemate laborantem fatetur. Nec non & hodie, vt Plinius ait, multifariam ab oraculis medicina petitur. Particularis natura etiam citra artis auxilium vincit morbos exiguos. Magnos quoque ſuperare ſolet opem ferente medico. Qui æmulus, pariter ac adminiſter eius eſt, licet quædam ille perficere poſſit, quæ naturæ integrum non eſt facere, vt fracta rectificare, luxataq; reponere, & id genus alia. Natura itaque per ſeipſam ſanat, quia ὅτι ἀρχή τις καὶ αἰτία τοῦ κινεῖσθαι καὶ ἠρεμεῖν, ἐν ᾧ ὑπάρχει πρώτως, καθ' αὑτὸ, καὶ μὴ κατὰ συμβεβηκός, hoc eſt, principium eſt & cauſa motus

Curatiuum triplex.

Natura ſanat.

Lib. 2. c. 7.
In prol. gr.
Lib. de libris proprijs.
Lib. 19. c. 1.

2. de lo. aff.
2. epi. cō. 2.

Lib. de cōſt. ar. m.
2. phyſ.

& quietis eius in quo est, primum & per se, & non per accidens. Vnde illud Mesuei: חֲכִבָ חוֹת רְפָא וְלָא בְרוֹפֵא, id est, naturæ est sanare, & non medici. Sed naturæ vocabulum, subinde interpretatur Gal. homonymum est enim, vt declarat Nicolus, effertur de anima, quæ secundum eundem est natura omnibus morbis contraria. Et de animæ potentijs, quæ sunt Hippocrati morborum medicæ. Et de temperamento, vt vterque sentit: quod est natura omnium operatrix. Et de calore innato, quem spiritum esse Gal. autumat. At dubitare videtur, an is sit animæ essentia, an primum eius instrumentum, quo animæ essentia vtitur ad omnes functiones. Aliquando tamen asseruit natiuum calorem, corporisq; temperaturam, nihil aliud quàm animam existere. Quod etiam ante nos adnotauerunt Conciliator, & doctiss. Leonicenus.

In cano. vni. L1. de na. hu. 2. aph. cō. 24. & 3. aph. cō. 2. & alibì milies. Sermone 1. 11. ther. 6. epi. Lib. de natu. hu. 3. de tēp. 3. ar. 1. 1. aph. cō. 15. & 7. aph. cō. 37. 5. simpl. c. 8. & 2. de caus. sy. Li. de tremo. & palpi. lib. de plenit. & 2. de se. Diffe. Lib. de virt. form.

Res præter naturam sæpe sibi remedia sunt, maximè quum ex aduerso pugnant. Dolor dolorem soluit, testimonio Hippoc. Fistulæ sunt aliorum morborum medela. Febris spasmo medicatur, & corpulentiæ, pellitq; colicam ortam à flatu vel pituita.

Res prætér naturā sanat. 2. epi. 6. epi. 2. aph. 26. 14. ther. 6. aph. com. 44.

Quartana febris ab alijs magnis morbis liberat ſcilicet epilepſia, varicibus, arthritide,& podagra. Singultus & vomitus ſeſe tollunt. Diarrhæam leuat vomitio. Ventrem non ſolutum vomitus ſoluit. Coxendicum dolorem, ſchiaſim'ue, dyſenteria curat. Lipientem alui profluuio corripi bonum.

1. & 6. epi. 2. 1. phen. Li. de loc. in homi. 1. de morb. & 6. aph. 15. 2. de r. vict. 9. ſimp. & Æt. lib. 12. 6. aph. 7.

Fortuna ſanat.

Præterea quia fortuna ſanitatis cauſa eſt, tempore & natura auxilio prior, inter contraria curatiua numerari poteſt: hinc forſan eſt quòd Hippocrates morbos male curatos malam fortunam nanciſci putat: qui bene curantur, ſecundam. Tympaniamq; bona fortuna indigere dixit. Celſus etiam in nullo quidem morbo inquit, minus fortuna ſibi vendicare quàm ars poteſt. Nempe circa eadem quodammodo verſatur vtraque, vt exarat Ariſtot. ceu & Agatho hoc ſenario teſtatus eſt:

11. ther. Lib. de arte. 4. r. a. Lib. 3. c. 1. 6. ethi.

Fortuna chara eſt arti, ars fortunæ quoque.

In Gorgia.

Nonnunquam tamen imperitiam fortuna ſequitur, vt Plato affirmat: cui aſſentitur Ariſtoteles inquiens, vbi plurimum intellectus, ibi minimum fortunæ. Mirum quòd infortunatorum præſentia, communitas, propinquitas'ue corporum languentes

tes plurimum offendat, ſicut Neocomenſis aſſeuerat, & experientia docet. Obſeruatum quoq; eſt, teſte Plinio, inflammari vulnera ac morbos ſuperuentu eorum qui pedibus iter confecerint, vel qui vnquam fuerint ſerpentum canis'ue dente læſi.

Lib. de parte oper. & de conſeru. iuuen.
Lib. 25. c. 2. & lib. 28. c. 3.

Ars etiam veluti fortuna tempore & natura ſanitatis cauſa remedio prior eſt, aliquandoq; perficit, quæ natura nequit abſoluere, vt medicina, inquit Ariſtotel. Verùm fortuna, ars, & artifex materiarum interuentu agunt, videlicet inſtrumentorum quorum aliquo perficitur curatio.

Ars ſanat.
11. ther.
2. phyſ.
11. ther.

Curationis inſtrumenta, curatticis'ue partes tres ſunt: διαιτήτικη, quæ victu: φαρμακεύτικη, quę medicamentis: χειρούργικη, quæ manu medetur. Hæ omnes ita innexæ ſunt, vt ex toto ſeparari non poſſint, vt refert Celſus. Et ſi harum diætetice nobiliſſima ſit ſecundum Gal. nihilominus non mihi probatur Aſclepiadis opinio, qui propterea quòd omnia ferè medicamenta ſtomachum lædant, maliq; ſucci ſint, ad victus rationem omnem curam tranſtuliſſe fertur. Etenim mala quædam ſunt, quæ per diæteticem tolli non poſſunt, quæ medicamẽta

Curationis inſtrumenta ſanant.
Lib. de priſca me.
De ſectis. r. r. a. com. 17. lib. introd.
Li. 5. in prol.
Cõtra Aſclepiadem.

ſanant: & quæ non ſanant medicamenta, ferrum ſanat: quæ ferrum non ſanat, ignis ſanat: quæ non ſanat ignis, non poſſe ſanari putantur, vt Hipp. memoriæ mandauit. Verùm reliquis duabus partibus ſeu inſtrumentis, hoc eſt, pharmaceutice & chirurgice, affectus inſtigandos non eſſe crediderim, ſi ſola victus diligentia corrigi ſanariq; poſſint. Quod Plato ſalubriter monuit, & poſt hunc Damaſcenus & Arnal. ſciteq; Ætius: Tutiſſima, inquit, & compendioſiſſima via ad affectionis extirpationem diæta exiſtit, quanquam plurimi omnino morbi ab aceruata pharmacorum viciſsitudine deleantur, qui aliàs non facile hominē relinquūt, ſi diæta ſolùm exquiſita vtantur. Rurſus omnem diuturnum morbum maiorem ex diæta opem ſentire refert. Sanè etiam in nudis diſcraſijs curandis efficaciſſima eſſe alimenta autor eſt Galenus 8. τῶν τόπ. vt quæ præter quod intemperiei medeantur, etiam nutrire queant. His ſubſcribere videtur Auicenna inquiens, ſæpiſsime vſum optimi regiminis ad repletionem & malam temperaturam ſufficere, & per regimen victum intelligit. Qui Galeno dicitur

In aph. nothis.

In timæo.
In apho.
In parab.

citur vſus cauſarum neceſſariarum 3. epi. com. 3.

Porrò in cauſis neceſſarijs tria ſunt expendenda, qualitas, quantitas, & vſus modus. Qualitas indicatur ex morbi conſtitutione, quod in aſſumendis planum fecit Hippocrates in hanc ſententiam ſcribens: Contrarius in morbo victus. Item, Victus, inquit, humidus febricitantibus omnibus confert, maximè verò pueris, & qui ita viuere conſueuerunt. Quantitatis indicatio præſtatur ex viribus ægrotantis, ex morbi conſtitutione & ex particularibus acceſsionibus. Ex viribus ſiquidem illas adauget cibatus plenior, conſeruat modicus, comminuit tenuis. Tenuem antiquorum victum noſtrates (aiunt Zoar & Auer.) non tolerant, tum propter conſuetudinem, tum aëris ambientis temperaturam, tum quòd noſtratia corpora vberius tranſpirant, quàm illorum, qui vinum liberaliter bibunt, ſimul ac ſuillis veſcuntur carnibus, quæ valentiſsimè nutriunt. Eſt autem victus tenuis, qui per pauca & parum nutrientia edulia fit: qualis eſt ptiſanæ ſuccus. Tenuiſsimus qui per ſolam inediam vel

Diætæ ſeu regiminis qualitas.

6. epi. 1. aph. 16.

Diætæ ſeu regiminis quantitas.

1. aph. cõ. 4.

7. col.

Victus plenus, tenuis & tenuiſs. & moderatus.

1. aph. cõ. 4.

vel melicratum vſque ad criſim procedit. Plenus qui naturæ robur auget: qualis qui fit per oua. Quæ tenuiſsima, & pleniſsima non eſt, moderata diæta Galeno dicitur.
11.r.a. cõ.13. Celſus abſtinentiæ duo tantùm genera facit. Alterum vbi nihil aſſumit æger. Alte-
11. ther. rum vbi non niſi quod oportet. Si igitur vires legitimum robur ſuum habeant, & morbi ſummus vigor naturę expectatur, tenuiſsimo victu vti licet: ſi ſint infirmiores, non licet ſine graui noxa. Sed adijcere ad nutrimenta tantùm oportet, quantum eſt de robore virium imminutum. Quemadmodum enim fit euacuatio ante concoctionem turgente materia, ſic fit cibatio, in hora non apta cibationi ad prohibendum
1.phen.4. virtutem à caſu, vt prodit Auicenna. Quo fit vt in acceſsionibus nonnunquam cibandum ſit. Aliquãdo in ipſo acceſsionis hor-
1.. ther. 1.aph.cõ.9. rore: quod de picrocholis teſtatur Gale-
2.r.a.cõ.48. nus. Interdum verò in ipſo vigore, ſcilicet vbi caſus aliquis interuenerit, robur naturę diſſoluens, non item aggrauans: nam ſiue ob euacuationem ſenſui manifeſtam (vt idem enarrat) ſiue ob eam quæ per halitum fit diſcuſsionẽ, ſiue ob inediam virtus

labeſa

labefactata fuerit, qui ita affecti sunt, cibari quàm celerrimè expostulant. Contrà autem qui ob dolorem vel morbi acumen parum valentem habent facultatem, vacuatione interdum magis quàm repletione indigent: imò qui cibum his exhibet, maximum adfert detrimentum. Hinc perspicuum fit, quòd non omnis virium imbecillitas cibationem exigit. Ex morbi constitutione quantitatis indicatio docetur: In longis enim morbis victus tenuis periculosus. In peracutis tenuissimo vtendū, & in mollioribus pleniori. In diuturnis quoque alimentum minuimus, & eorum complures, teste Auicenna, præter febres, victu tenui soluuntur. Eoq; liquet quòd in curanda lue Hispanica leptodiæteticæ haud inutilis est. In vigore tenuissimo vtendum, prius tamen vberius agendum, vt æger sufficiat. Vnde inter initia mali, inquit Aristoteles, cibum afferre melius est. Celsus contrà, initia, ait, morborum famem primùm sitimq; desiderant. At verùm illud erit de vniuersali, hoc verò de particulari morbi tempore. Ex particularibus accessionibus quantitas variatur: nempe in illis abstinere conuenit. His qui

1.ap.4.lib.7.

4.phen.1.

1.aph.8.

2.probl.52.

Locus Arist. & Celsi enodatus.

1.ap.11.ib.19. qui per circuitus accesſionem habent, nihil dare oportet: niſi fortè cùm acceſsiones inclinant & deſinunt. Tùm enim dandus eſt cibus, cùm calor ad pedes vſque peruenerit. Ex. 4. phe.1. Atq; vt ſemel dicam cum Auicenna, alimentum quandoque tollimus, nonnunquam minuimus, interdum æquamus, quãdoq; augemus. Aufertur in totum cùm medicus cupit naturam vacare humorum cõctioni, ſicut in ſtatu & peracutis, videlicet materioſis: nam in macrore & hecticis augeri debet, tantum abeſt vt auferatur. Minuitur vt vires alimento conſeruentur, vtq; materiæ proſpiciatur, ne ſcilicet natura ſit circa nutrimenti multitudinem impedita, vt in augmento & in acutis, in diuturnis etiam, minus tamen quàm in acutis. Minuitur autem biſariam. Interdum enim qualitatem minuere, quantitatem verò augere cogimur, vt in appetentia canina. Nonnunquam qualitatem augere, quantitatem verò minuere debemus: vt cùm vires roborare cupimus, & ventriculi natura ad pleniorẽ concoctionem non eſt valida, æquamus in principio: 1.aph.10. prius enim vberius agendum, 1.ad glau. vt æger ſufficiat. Augemus in declinatione:

natione: etenim augmentum simile oportet facere huic quod ante statum fiebat decremento. Ob id artem quæ reficit & restaurat conualescentibus congruere tradit. Galen. Deniq;,inedia inquit,in valentioribus vtaris viribus: & morbo concoctu difficili. Largiori autem cibo,vbi vires sunt debiliores, neque morbus admodum concoqui contumax. 3.ar.par. 1. ad glau. Diætæ seu regiminis modus vsus.

Vsus modi indicatio ex tribus præfatis etiam accipitur. Si enim vires debiles fuerint, & dispositio sit ex corruptione humorum, vel defectu, parum alimenti & ægrotantibus afferemus: parum quidem quia virium imbecillitas non potest totam simul multitudinem alimenti sustinere. Sæpius autem quoniam multis indiget dispositio: defectus siquidem exigit adiectionem, corruptio verò contemperamentum. Si cum virium debilitate neq; defectus aliquis affuerit neq; corruptio, humores autem naturales se modicè habuerint, vel etiam superabundauerint, his rarò & pauca afferemus. Et multò magis istud agemus si cum naturæ robore humores superabundauerint. Si verò cum humorum defectu vel cor- Cibus paucus & frequens quando dandus. Paucus & rarus. Multus & frequens.

ruptione

ruptione vires validę fuerint tunc multos ci bos atq; multoties his dabimus, vtpote multos exigente dispositione, & natura robusta potente illos concoquere. Si accessiones

Multus & rarus.

non permiserint, neque multi alimenti offerendi occasiones præstiterint, rarò plura exhibebimus. At si vires validæ fuerint, cum

Paucus & rarus.

Paucus & frequens.

plethorica dispositione, rarò pauca afferemus, quia dispositio multis non indiget. Præterea æstiuo tempore sæpius pauca danda sunt: quoniã & pluri egent adiectione, vt

Multus & rarus.

qui sint dissoluti, & vires habeant imbecilles. Hyberno verò, multa quidem, propter robur virium: sed rarò, quia nõ valde multa indigent adiectione laborantes: vt quibus

Paucus & rarus.

non multa fiat euacuatio. Vere paucis & ex longo interuallo nutriemus: ceu & in plethoricis dispositionibus, si vires validæ fuerint. Autumnus morbis qui ex corruptione

Multus & frequens.

Paucus & frequens.

1. apy. cõ. 17.

fiunt, assimilatur: quare qui in eo febricitant, continua optimi indigent adiectione, etsi vires validæ fuerint, sæpius multa, si verò imbecilles, pauca & sæpius afferimus. Simili modo, inquit Gal. quispiam ab ætatibus, consuetudine, & regionibus sumeret indicationes, ad duas primas redigẽs

intent

intentiones: ſingula enim quæ dicta ſunt, aut fortes aut debiles vires efficiunt,& corpus reddunt aut ſuperabundans bonis humoribus, aut ſufficientibus carens, aut vitio humorum deprauatum. Ex quibus patet quòd virium robur quandoque cibum multum & frequentem(vt in morbis qui ex humorum defectu vel corruptione fiunt,& in autumno) poſtulat: nonnunquam verò paucum & rarum, vt in acutis. Patet etiam quando cibus paucus & frequens, paucus & rarus, multus & frequens, multus & rarus conuenienter ægrotantibus ſit exhibendus. Ergo cùm ars ipſa tota ſit magna, non leuiſſima pars artis eſt, ſcientia ordinandi victus, vt cenſet Galen. qui etiam iubet vt conſentientibus indicationibus vnam victus ſpeciem conſtituamus. Inter ſe verò diſſidentibus, quæ valentiores ac plures ſunt,præferamus:ita vt victus ſpecies,quam hæ præſcribant,præferatur,ſic tamē ne contraria ſit neglecta. Vt in morbis inſanabilibus,& leuiſſimus victus qualitate contrarius morbo & cauſæ eſſe debet. At quantitatis ratione pro ſolo virtutis reſpectu, tanquam ſi nullus morbus adeſſet conſtituendus eſt.

Victus ratio in contrarijs indicationibus.

11.ther. 7.ther.

I Porrò

Alimentorũ differentiæ. Ex 3. de alim. 2. phan. 1.

Porrò alimenta ſunt corpora orta ex prima mixtura elementorum. Et ſunt omnia vel ex cerealibus ſeminibus, ex plantis, vel ex animalibus. Horum quædam ſimplicia, & quædam compoſita ſunt: alia operantur materia, alia materia & qualitate. Illa ſunt mera cibaria, medij temperamenti,& nulla eximia qualitate prædita: hæc autem ſunt mixta, dicunturq; medicinalia: quoniam licet nutriant, ſumentis tamen corpus in qualitate immutant. Vnde alimentorum duplex eſt facultas:vna qua alterant, altera qua nutriunt.Prior dignoſcitur ex colore,odore,ſapore,tum ex eorum quæ præſtant vſu foris applicata, vel intus ſumpta. Poſterior autem non ex ratione aliqua, ſed ſola experientia indicatur. Quippe eorum ſubſtantiæ cum tota nutriti natura proprietas quædam eſt, ſimilitudo Galeno dicta, cuius ratione alimenta alto dulcia, hoc eſt, guſtu amabilia, conuenientiaq; ſunt. Et vt illorum familiaritas delectatione deprehenditur, ſic contrarietas inſuauitate: ſiquidem quæ à tota natura ab alito diſſidẽt,inſuauiter eduntur. Omnium morborum, inquit Gal. communis victus ſpecies

1. ſimp. & ali.

Alimẽtorum duplex facultas quomodo cognoſcitur.

3. ther. 4. r. a. 3. 4. 9. ſimp. 3. de tẽp. 4. & 6. de t. ſ.

Omniũ morborũ victus ratio cõmunis.

ſpecies eſto, quæ & boni ſit ſucci, & concoctu facilis: quoniam, vt ait Auicenna, omnis æger eſt læſus. Itaque ex cibis mali ſucci cacochymia conciliatur: quæ quantum morbis valeat generandis, Galen. ex profeſſo planum fecit. Qui in ſummo plurimum'ue nutriunt, tardè penetrant: nam craſſi viſcoſiq; eſſe debent, quo firmiter adhæreant, durent,& ne per halitum digerantur. Ideoq; difficulter concoquuntur. His ſanè contrarij ſunt citò penetrantes: vtpote ſubtiles, friabiles, concoctuq; faciles, ac modicè nutrientes. Quocirca appoſitio celeris non eſt diuturna, vt teſtatur Galen. qualis eſt quæ fit per vinum, quod calidum & humidum eſt. De hac Hippocr. quicunq; ait, citiſſima adiectione indigent, his humidum remedium ad recuperandas vires, optimum eſt: vbi adhuc citius per odoratum. Hac autem indigemus cùm vitalem virtutem deficientem ſubleuare, eamq; excitare deſideramus: vbi ventriculus, vel virtus non perficiunt coctionem cibi tardæ concoctionis. In illis quoque quorum partes ob ſiccitatem ad trahendum nutrimentum infirmæ ſunt, ſequax

8. ther. 1. phen. 4.
Lib. de euch. & caco.
3. de cau. pul. 2. aph. co. 11. & 18.
Lib. de alim.
4. phen. 1.
Lib. de mar.

alimentum, celerisq; appoſitio vtilitati exiſtit.

Ex cerealib' cibaria.

Ex cerealibus fiunt panes, placentæ, pultes,& conciclæ: quorum vſus in curandis morbis variè præſcribitur. Panum differentiæ ductæ à materia ſunt, ſiligineus ſeu ſemidalites, ſimilaceus, αὐτόπυρος, qui & συγκομιστός appellatur: cui ſecerniculo nihil ademptum eſt: ſordidus ſurfuraceus'ue, συμιτὴς, id eſt, azymus, elotus, oxylepes eſt acidus & ſquaroſus. Ductæ à coquendi ratione clibanites, hoc eſt, textuaceus: hipnites ſeu furnaceus, foraceus in foci tegula, ſubcinericius cineribus tectus aſſatur. Eſcharites à craticula appellatur, quem nebulam à tenuitate & candore vulgus nominat. Reliquas panum ſpecies fuſiſsimè explicuit Hermolaus: apud quem placentarum genera materiæ formæq; ratione diuerſa, propemodum infinita memorat Atheneus. Huc refer vermiculos & lixulas ex Platina.liba, ligana, rhyemata, itria, naſtos, ex Galeno. Mazam præter conſuetudinem ingeſtam damnat Hippocr.offam Plinius interpretatur. Offam Feſtus appellat abſciſſum globi panem: vtpote bolum aut

Panum genera.

Placentarũ genera.

In corelario.

Lib. de hon. volup.

Lib. de euch. & caco.

2.r.a.

aut bucellam, aut glomeratam pultem. Puls ſecundùm Aëtium, omnis vocatur ſorbitio, quæ aut de leguminibus aut cerealibus granis decoquendo in ſuccum reſolutis conficitur. Sed & puls Polluci brodium frumenti eſt. Inter pulmenta reponit Gal. ethnos & lecythum. Pollux chidriam ſorbitionem ex tritico virenti factam intelligit. Polenta ex viridi adhuc hordeo paratur. Ptiſana ex ſicco integro plenè cocto. Omeliſis ex eodem ſicco mola in farinam redacto, vt ſenrit Manardus, cui cremor aliud eſt à ſucco, tametſi cremorem Celſus fere pro ſucco vſurpauerit: decocti quoque ſurfuris ius, cremorem nominat. Inter pulmentaria Apitius conciclas dinumerat.

Lib. 1. Pultum pulmentorũ'ue genera. Lib. 6. Li. de euchy. & caco. Lib. 8. epi. 3.

Ex plantis ſumuntur τραγήματα, quæ & πέμματα, id eſt, bellaria indigitant: ſaccaraceaq́; omnia, omphancium, & limoniaca: fiuntq́; permulta opſonia, veluti torta, κνισα, hoc eſt, olera conciſa, ſiue minutal herbaceum: ἡδύσματα, id eſt, acetaria: acrimonia, ſicut piperatum, alliatum, ſinapium, petroſilinatum, moretum varium, variæq́; olerum, fructuum, & turionum conditurae. Sed hæc vt proſint, non tantùm vt

Lib. 5. Ex plantis opſoniorum genera. Bellaria, acores, cniſta, acetaria, acrimonia, condita.

delectent, curant medici: & voluptatem si quando quærunt, vtilitati eam cogunt seruire.

2. de alim.

nam in nonnullis, inquit Galen. magnum ad cruditatem momentum affert edēdi insuauitas. Hinc licet colligere, quòd esca Ioannis forsan erat ἀκρεμόνες; & non ἀκρίδες; vt legitur apud Matth. ἡ δὲ τροφὴ αὐτοῦ ἦν ἀκρίδες, καὶ μέλι ἄγριον, hoc est, germina, & non locustæ: quando arborum fruticumq́; turiones, olerum asparagis proportione respondent, edendoq́; sunt.

Locus in euangelio emaculatur. Matth. c. 3. 2. de alim.

Ex animalibus eduliorum genera.

Ex animalibus edulia, assata, frictellata, crustulata, elixa, iurulenta, iuscula, pastilli, hysitia, farturæ seu farcimina, vti artocreæ, lucaniæ, tucetum, ac omne pulpamentum. Enogarum, id est, gelu in quo carnes vel pisces ponuntur: quod interpres Auicennæ gelatinam dicit. Pelanos pro quacunq; re concreta, gelata'ue, Euripidi accipitur. Lactarij operis sunt, caseus, recocta, butyrum, melca, aphrogala, argyritrophema. Oua quædã assatim coquuntur, aphtha vocata. Alia ad mediocrē vsq; consistentiam, vt trometa seu tremula. Alia duntaxat incalescũt, quæ sorbilia vocamus. Quædã in cineribus assantur. Quædam peculiari cocturę modo suffo-

ſuffocãtur pnicta dicta. Quædam in ſartagine ad craſſiciem vſque friguntur, tagenista appellata. Ad hunc itaque modum adulationes artes ſubeunt, vt medicinam coquinaria, eiq́; inſeruit, quòd quæ per hanc elaborata concocta'ue ſunt, magis quàm inelaborata ac cruda, mutantur. Vultq́; Galenus Medicum artis condimentariæ, obſonatricis'ue, non plane rudem aut inexpertum eſſe, cùm ob retro dicta, tùm quòd duorum ex æquo ſalubrium, quod ſuauitate præſtat, minore negotio concoquitur. Coquinariæ capita, qualia ponit Apitius, ſunt ἐπιμελὴς, ἀρτοπτὴς, κηπουρικὰ, πανδέκτηρ, ὄσπριον, τροφήτης, πολυτελὴς, τετραποὺς, θάλασσα, ἁλιεύς.

Potius ſitis remedium, quæ eſt appetitus frigidi & humidi. Potus ergo vel infrigidat, vt acetum: vel humectat, vt vinum: vel vtrunq; operatur, vt oxycratum, aut aqua frigida hauſta. Hinc liquet quamobrem nullum animal calidos potus ſequatur, quod aſſerit Plinius. Potus deinde aut permiſcet cibi partes, aut defert cibum per corpus, vt tradit Ioanicius. Duplexq́; eſt, nõ nutriens, vt aqua: & nutriens, vt vinum atq; zythum. Lib. 28. c. 4.

Potionis menſura eſt,quæ nec in ventriculo innatat, nec fluctuationis vllius ſenſum inuehit.7.ther.

De aquis quæ bibuntur præſtantiſſima eſt fontana (quod ſpeciali opuſculo D.Turinus probare contendit) deinde cœleſtis. Hæcq; Hippocrati optima exiſtit. Mox amnica, poſteà putealis. Harum bonitatem à tribus ſenſibus æſtimat Galen. nam viſu ſyncera eſſe ac perlucida, guſtu & odoratu nullã pre ſe ferre qualitatem debet. Omnis aqua coctione corrigitur meliorq; fit, ſi credimus Plin.Ruſo,& Aëtio.Calidũ enim cõgregat homogenea,& eterogenea ſeiungit.

Vina quæ ægrotantibus conuenire videntur,nec muſtacea ſunt,nec antiqua, ſed potius ętate media.Huiuſmodi autem ſunt, vel polyphora,vt rubra, ſulua, flaua, nigra: aut oligophora, veluti rubella,& alba. Loram his concedit Dioſcorides,in quibus timet vini noxam. Ad idem pollet vinum rhoites. Sunt etiam ex vſu omphancium, pomatum,pyratum,& cydoniatum vinum. Fiunt quoque ex aqua & ordeo potiones, vt Zythum & Curmi Dioſcoridis, & Cari confectio Aëtij.

Medic

Medicamentum omne id dicimus, quod naturam alterare poteſt. Cuius materia à plantis, à metallis, vel ab animalibus prouenit. Simplexq; aut compoſitum eſt. Simplex dicitur quod ſecundum ſuam naturam ſeu ſubſtantiam eſt ſyncerum. Huius duplex eſt cognitio, vna eſſentiæ, altera virium. Eſſentia cognoſcitur non exacta ſciẽtia, ſed artificioſa coniectura, ex accidentibus, quæ in ſingulis partibus præcipuè diſſimilaribus, pro differentijs notantur. Siquidem à Theophraſto, Dioſcoride, Plinio, ſimplicia deſcribuntur non ex genere & differentia eſſentiali, ſeu proprio, verùm ex genere & accidentibus, quæ propter variam cœli ſoliq; rationem vt commutantur ſubinde, ſic poſſunt adeſſe & abeſſe præter ſubiecti corruptionem.

Sunt autem Theophraſto plantarum ſpecies quatuor: arbor, frutex, ſuffrutex, herba. Horum partes ſimilares ſunt, cortex, lignum, humor, caro, matrix, medulla, neruus, vena. Diſſimilares verò, radix, caudex, caulis, ramus, ſurculus, germen, folium, pediculus, flos, fructus, ſemen. Huc etiam pertinent viticulæ, adnata, alarum

cana, capreoli, nucamentum, ſeu iuli, papi, tomentum, epiphylis, cachris, cytinus, vmbella, muſcaria, pericarpia, ſiliqua, ſpica, echinus, muſcus. Itaque ex iſtis ducuntur differentiæ, quæ aliquam cognoſcendi ſimplicia methodum conſtituunt, quam Textor ſecutus eſt.

Simplicium facultates Galenus demonſtrat diſtincto experimento, doctaq; ratiocinatione. Experimentum autem in corpore eucrati primùm, mox dyſcrati, tertiò in eo, quod ſimplici affectione tenetur, fieri debet. In quibus obſeruandum, vt quod ex accidenti eſt, diſtinguatur ab eo, quod primario atque per ſe eſt. Ex accidenti eſſe dicitur, quod externa vi, non ſuapte natura alterat, per ſe verò, quod ſuopte ingenio. Iſthucq; corpori adhibitum ab initio ad finem vſq; magis atque magis ſuum agendi munus proſequitur. Res enim naturales procedunt à principijs ſuis aut ſemper, aut ſecundum plurimum, vt 2. cano. Auicenna loquitur.

Raciocinatio deinde ducitur ex ſimplicium ſapore, odore, colore, atq; ex earũ facili vel difficili conuerſione ad caliditatẽ, vel frigiditatem

giditatem. Ducitur item secũdum Auer. v. collec. ex generali corporum mixtorum differentia. Sapor odore, & hic colore facultatem certius arguit. Sapor dulcis, amarus, salsus, acris, caliditatem significant. Acidus, acerbus, austerus, frigiditatem. Amarus, acidus, acerbus, austerus, siccitatem. Insipidus atque pinguis, humiditatem. Odorata dulcibus saporibus, vt Aëtio visum est, proportione respondent, fœtida verò his, quæ dulcedine carent. Odorata tenuis substantiæ calida sunt. Inodora crassæ. Verùm ob substãtiæ inæqualitatem nihil certi de temperatura ab odore deprehendere licet, ac multo minus à colore. A quo tamen quippiam etiam coniectamus. Nam in calidorum genere candidiora minus calida sunt, subrusa, fulua, rubra, & nigra magis calescunt. Contrà in frigidis hæc minus frigida sunt. Albiora autem frigidiora. Quod facile in ignem vertitur calidum est, si tenuis substantiæ & densæ fuerit, sin autem raræ ac crassæ, calidum potest ad ignem esse, neque tamen ad nos ideo calidum esse oportebit. Quod facilius, congelascit ex duobus æquè crassis, vel facilius concrescit ex duobus

æquè

æque tenuibus, frigidius censetur. Est enim simplicium consistentia crassa aut tenuis. Illa ægrè dissoluitur, hæc verò in minutissima quæq; fatiscit. Dura aduersantur molli, & fragilis, friabilis'ue, glutinosæ.

Iam primæ simpliciũ facultates sunt caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas. Quarum singulę quatuor gradibus distinguntur, vt gradus quilibet tribus mansionibus siue
3.5.c.14. minutijs cõstet. Gal. virtutem in simplicibus nullam credidisse videtur, quæ à primis non descenderet qualitatibus. Non sunt, inquit, sanè mihi accepta medicamenta, quæ occulta virtute agunt, nec illis fidem habeo, lib. de cur. lithi. Secundæ qualitates dicuntur, quæ primas immediatè sequuntur, & pro gradu tenuitatis partium aut crassitudinis operantur. Tertiæ à secundis differre non videntur, nisi quòd peculiaribus mem-
5. collec. bris (vt Auerrhoi placet) dicatę sunt. Quartæ sunt totius substantiæ, sola experientia, & citra methodum cognitæ.

Facultates porrò nomen accipiunt ab effectu quem præstant, à parte corporis cui dicantur, à vitio cui medentur. Simplicibus haud esse vtendum non perperam affirmare

firmare præcellenti vir doctrina Cardanus videtur. Oportet nanq; in omni ferè simplici, vel noxam infernare, aut vehementiam obtundere, vel imbecillitatem roborare, aut mitigare insuauitatem. Adde quòd vix vllum simplex, simplici affectui curando per æquipollentiam contrarium reperitur. Tantum abest vt in complicatis affectibus, qui diuersas simul facultates requirunt, aliquod simplex curationi respondere possit.

Ex simplicibus fiunt composita, secundum genera, secundum loca, secundum indiuidua. Sunt autem composita aut natura, veluti sunt simplicia pleraq; omnia, quæ vires obtinẽt varias: vel arte, quibus mistio aliqua à nobis accessit: sibiq; nomen adoptant ab actione, à basi, à numero simplicium, à qualitate, ab vtendi modo, à forma compositi, à loco, à nota, ab inuentore.

Compositionis causas Gal. & Auicenna plures recensent. Quæ summatim ducuntur ex natura affectus, corporis affecti, & medicamenti affectum illum in hoc corpore sanaturi. Compositionis ratio in tribus consistit, in medicamẽtorum delectu, eorumq; quantitate, & in cõpositi forma. Deligenda primum

primum quæ basim constituunt, hæc enim affectibus præter naturam per æquipollentiam contraria est. Nec semper vnico simplici constat, propter vnius simplicis debilitatem, vel vacuationis tarditatem, vel affectuum pluralitatem. Estq; interdum vnica, & nonnunquam gemina, vt in polychrestis. Cauendaq; sunt quæ illi aduersantur, vt monet Gal. 2.r.a. Secundò ea deligun tur sine quibus prçter naturam affectus basis abigere nequit. Tertiò alia per quæ basis melius operatur. Postremò basim fouentia & diu seruantia.

Quantitas duplex est, videlicet mensura ponderis, & facultatis medicamenti. Vtraq; seligitur ex membri natura, morbi magnitudine, & ex his quæ sua conuenientia id significant. Quædam inquit Theoph. 5. de ca. plan. ex eorum numero quæ conueniũt, iuuareq; possunt, exitio aliquando sunt, si immodica, aut vehementiora, aut intempestiua indueantur. Membri natura temperamentum, formationem, situm, viresq; complectitur. primum membri secundum naturam temperies agnoscenda est. Alioqui mensuram dyscrasiæ, ac consequenter

medic

medicaminis quantitatem, qua opportune illa alteranda eſt, ignorabimus. Ex conformatione, quæ in ſe concludit figuram, concauitatem, aſperitatem, & leuitatem, cognoſcimus, quod membrum rarum & fungoſum debilius exigit medicamen. Contra denſum, & quod neutra parte, ſcilicet interna & externa concauitatem habet, validius poſtulat. Situs & ſocietas non ſolùm oſtendunt per quæ loca, & quo vacuationis genere vacuare expediat, ſed etiam medicamenti quantitatem præſcribunt: nam ſi propinquus fuerit locus, tanta remedij vis eſſe debet, quanta morbo ſit oppoſita: ſi verò remotus, plus æquo illius vim augere oportebit. Virium ſimiliter cognitio ad eligendam quantitatem nos dirigit, nempe in principibus membris non debemus vti quoad fieri poteſt fortibus medicamentis, ne vniuerſum lædamus corpus. In membro acuti ſenſus expedit nec confertim nec ſemel valentibus auxilijs mederi tentes, ſed tuto potius in tempore. At vbi hebes eſt ſenſus, licet celeriter obire quod iuſtum eſt. Ex his poſtremò quæ ſua conuenientia

nientia membri naturam, morbiq́; magnitudinem, significant medicamenti quantitas suggeritur, hoc est, ex sexu, ætate, colore, & habitu corporis, consuetudine, arte, regione, atq; anni tempore: fortia nanq; remedia non ferunt sexus muliebris & eunuchi. Ætates inferiores integro incremento, & quæ ad terminum vltimi senij deuenerint, & qui supra modum obesi, macilenti, albiq́; sunt, & parum assueti medicari, & qui habent exercitia laboriosa, & qui regionem incolunt meridionalem, aut septentrionalem, tempore anni immodicè calido aut frigido.

Cæterum quantitas medicamentorum siccorum, pondere: liquidorum verò, mensura examinanda est. Itaque de ponderibus sunt pondo, seu libra, cuius partes sunt Vncia, pars eius duodecima. Sextans vncię duæ. Quadrans vnciæ tres. Triens vnciæ quatuor. Quincunx quinque vnciæ. Semis seu selibra, sex. Septunx septem. Bes octo. Dodrans nouem. Dextans decem. Deunx vndecim. Vncia drachmis Atticis octo, seu denarijs Romanis septem cōstat. Drachma tres habet scrupulos. Scriptulus obolos duos.

Obolus

Obolus pendet æreola ſex,ſiue ſiliquas tres. Aureus eſt pondus vnius drachmæ cum dimidia Arabibus. Danic ſex granorum pondus eſt. Kirat trium.

De menſuris manipulus & pugillus ſunt vſitatæ. Eſt enim manipulus faſciculus, qui manu complecti poteſt. Pugnus apud Marcellum Empiricũ vſurpatur pro manipulo: Accipe,inquit,roſę pugnos duos plenos. Pugillus videtur paruus pugnus, ſiue paruus manipulus. Hieronymus: non habeo panem niſi quantum pugillus capere poteſt in hydria. 3. Regum. Manipulo quoque & pugillo Oribaſius Aëtiusq; vtuntur ad Alopeciæ curationem. Sed de his pleniſsimè, ſciteq;,vt de reliquis omnibus ſolet, ſcripſit Syluinus.

Tempus in quo dandum eſt medicamẽtum,ex morbi tempore, ſiue ex materiæ & virium diſpoſitione agnoſcitur. Nam quum materia turgens fuerit, vel multa & non turgens in acutis & chronicis, in principio euacuare oportet ſi vires conſentiant,vt eſt Antyli atque Aëtij ſententia. Quòd ſi non turget nec exuberat, prius concoquere, deinde euacuare conueniet, vt iuſſit Hipp.

A concoctione ideo purgandum, quòd natura tunc euacuationi adminiculatur. videtur enim humores diſcernere & ſuperfluitates expellere, quo in tempore fiunt criſes. Adde quòd deiectio crudorum humorum tormina & roſiones creat, animiq; deliquia, cum eo quòd nec notatu quippiam dignum educit. Quãdo crudi omnes ſucci ad motum inepti propter craſſitudinem frigiditatemq; ſunt, quo fit vt anguſtas vias obſtruant, per quas id quod catharticum deijcit, ferri debet. Itaq; nec ipſi educuntur, & alijs ſunt impedimento. In morbis, in quibus periculum non impendet, à paruis incipiendum auxilijs eſt. Contrà in periculoſis alieniſſimum à ratione eſt à minoribus inchoaſſe. In phlegmonum item principijs vim repulſoriam validiorem eſſe oportet. In incrementis hæc nonnihil imminuenda, quæ digerit virtus augenda eſt. In ſtatu pares inuicẽ eſſe poteſtates conuenit repellendi & digerendi, niſi vehemens dolor pharmacum leniens requirat. Inclinante phlegmone digerendi vim augebis, ex Galeni & Auicennæ conſilio. Ex anni tempore, cauendum eſt remedijs vehementibus

8. κατὰ τόπ.

1. κατὰ γέν.

tibus tempore non commodo vti. Sub cane & ante canem molesta est purgatio. 4. aph. periculosaq; sanguinis missio. 1. ad Glau. Ex diei tempore, in conticinio dantur opiata, in aurora & diluculo electuaria, & potiones quæ laxant, aut concoquunt, à mane ad meridiem vomitoria. In occiduo enemata. In concubijs vel mediæ noctis inclinatione catapotia, si creditur Io. à sancto Amando. Alia insuper temporis electio fit, in quo propinare catharticum oportet, ex lunæ cursu. Quod probare videtur Aëtius & Aliabbas, siquidem vis purgantis hebetatur, cùm luna fuerit Ioui coniūcta, si Ptolemæo credimus. Sed propinandum tunc est catharticum, quum luna in aquea existens triplicitate, nullos habet coniunctionis, quadraturæ vel oppositionis aspectus, cum Saturno, Io. aut Marte, qua de re consule Io. à monte regio, reliquosq; Astrologos, maximeq; amicum medicorum. In centiloq.

Forma compositi in assumendis & in his, quæ extrinsecus imponuntur, varia est. Variatur autem quo sit vtilior fini proposito, vel ægro gratior, vel seruando medicamento, aut vtendo accommodatior. De

his, quæ corpori ingeruntur, ſunt antidota, quæ malis medentur ex deprauata victus ratione ortis, venenis aſſumptis, & ferarum morſibus. In his ſunt carthartica, hoc eſt, phlegmagoga, cholagoga, melanogoga, hydragoga. Quorum diuerſa eſt forma, vt liquores ſtillaticij, immerſiones, apozemata, diluta, per quæ forma medicamentorum à materia diſtrahitur, vt ait Meſues: electuaria, tripheræ, hieræ, miſcellæ, rhombi, buccelati purgantes, placentæ, morſuli, nebulæ, pilulæ, quæ à deglutiendo πώτια καὶ καταπώτια nominantur. Syrupi ſiue ſerapia ad προπόματα, id eſt, præpotiones, quæ ἡδέα καὶ ὠφέλημα, id eſt, ſuauia & vtilia vocant, pertinent. ſimiliter & zulapium, quod nos iulepum vocamus, & condita ſaccharacea. Loch, id eſt, ἐκλέγμα, noſtris linctus linctuarius'ue dicitur. Hypoglottia hypoglottidas'ue Scribonius interpretatur globulos, qui ſub lingua tenentur. Trochiſci cycliſi'ue ſunt plani in rotæ formam coacti. Robub ſucci ſunt medicati, vt ſuffuf ſunt pulueres ſeu trituræ, limaturæ, ramenta, friamenta'ue. Præter hæc fiunt ſief, id eſt, collyria, non ſolum oculorum,

rum, ſed & aliarum partium,humida & ſicca. Similiter & ἔῤῥινα,quæ in oblongam formam coacta naribus induntur, aut liquida illinuntur, aut per ῥινεγχύτην infunduntur. Ptarmica ſunt quæ ſternutamenta proliciunt. Apophegmatiſmi ore colluuntur,vel commanducantur, vel palato illinuntur. Ideo manducatoria,mãducationeſ'ue nuncupantur. His proxima ſunt gargariſatus & dentifricia. Huc etiam pertinent clyſmi & glandes, odoramenta & ſuffimenta. Thymiama eſt ſuffimẽtum quaſi θύμου ἴαμα, hoc eſt animi medela & ſolatium, quòd languens eo recreatur. Ex hoc paſtilli fiunt, pilæ, fornibula, olfactoriola.

Reliqua exterius admouentur, vt ἐπίθημα, quod eſt ſuper impoſitum liquidum. Legitur etiam de cærato & cataplaſmate apud Aëtium. ἔμπλαστρον durius eſt, κατάπλασμα & μάλαγμα mollius. δρώπαξ,& quæ promptè non decidunt, ſed valentius hærent, pertinere videntur ad emplaſtra, vel cærotaria, ſeruanturq́; in forma madgaliorum apud Marcellum. σιναπισμὸν à ſinapi, & phœnigmus, id eſt, cutem rubefaciens. Linimẽtis conſiſtentia parua eſt, vnguentis

& cæratis maior. Cærotarijs proximus videtur pannus rusticus. Vnguenta ex oleis & odoramentis conficiebantur. Stymmata sunt oleorum ac succorum spissamenta odorata. Hedismata vnguenta per aromatum additionem facta. Vnguenta myrrha, id est, odorata. Myrrha tamen Dioscoridi grauis odoris dicitur, non quòd fœtore, sed quòd nimia, siue densiore flagrantia offendat. Itaque stacte odoratissima est. Inde illud in sacris:

ὡς μύῤῥα ἐκλεκτὴ διέδωκα ἡδύτητα ὀσμῆς.

Ἐμβροχὴ καὶ ἔμβρεγμα, id est, irrigatio. Pyria siue pyreateria sunt vaporatoria, vaporaria'ue sicca. Ad quæ accedunt sacculi, qui varijs adhibentur partibus, vt pote capiti, cordi, thoraci, ventriculo, hepati, lieni, & vtero. huic etiam pessus, pessuli, & prostheta, quæ vulgò dicuntur nascalia & pessarium, sunt dicata. Ἐγκαθίσματα, siue insessus balneorum vicem supplent, vbi ægro adest imbecillitas. Anacollemata sunt agglutinamenta, quæ fronti imponi solent. Splenia & splenas teste Cornario suis in doctis annotationibus in librum τῶν τόπ. sunt linteola non oblonga tantùm, sed quacunque

cunque forma ad partium corporis habilitatem aptata, quibus excepta vel illita medicamenta adhibētur. Dicuntur etiam plagulæ. Sabanum Marcello pānus crassus est. Sceparnon, ascia, siue tegmen laneum, vt fœtum à frigore foueat, & prægnantis calorem conseruet, ἔναιμα cruentis vulneribus adponuntur. Ἔγχιστα vel ἔμμοτα sunt linamenta, seu linteola carpta vlceri superposita. Sed linamentorum quinq; species numerantur ab Herodoto lib. introd. Περίαπτον, id est, amuletum, quæcunque corpori adligantur aut collo suspenduntur. Φυλακτήρια dicuntur conseruatoria, ne aliquid pessum eat. Sextus.

Chirurgia tertium curationis instrumentum cæteris validius est. nanq; quæ mala non sanant medicamenta, ferrum sanat, & quæ ferrum non sanat, ignis sanat, vt memoriæ prodidit Hippocrates. Est autē chirurgia diuisio & compositio cum via quadam & ratione manibus facta in carne vel ossibus. Alia præter hæc chirurgia isthuc manus artificium docens, ars & scientia dici solet, quæ quanquam antiqua sit, non est tamen medicinæ scientia vetustior, vt

Chirurgia sanat.

In aph. noth.

Chirurgiæ diuisio.

Autor dialexeon medicinalium indicauit.

Diuiſionis ſpecies in carne. Diuiſionis in carne ſpecies ſunt variæ, vtpote inciſio, exciſio, arteriotomia, phlebotomia, ſcapellatio, punctio, paracenteſis, hypoſpatiſmus, periſcyphyſmus, angiologia, laqueus, vſtio.

Inciſio. Inciſio fieri debet in abſceſſibus in loco puris infero, qui & mollis maturus'ue, & à neruis arterijsq; diſtans ſit: fitq; triphariam, medicamento cutem diſrumpente, aut cauſtico, id eſt, cruſtam inducente: aut ferro, 3. 4. quæ priori modo efficitur, Auicennæ melior putatur. Ad ſectionem feſtinare oportet in abſceſsibus peſtiferis, & in illis qui abſcedunt iuxta præcipuum aliquod membrum, digitos, neruos, chordas, ligamenta & iuncturas. In alijs retardare melius eſt, haud enim ſectione ſemper curandi ſunt abſceſſus, ſed & putrefactione & diſcuſſione. 13. ther. ex quo Gal. ſi pus, inquit, aliquod notabile in ſuppurante particula ſit contentū, non expedit (quod nonnulli faciunt) protinus incidere, imò exhalationem moliri medicamentis ad id valentibus, quorum vſus ex affectu ſit coniectatus. Sciſſura per ferrum, magna ex parte efficitur ſecundùm

rugas,

rugas: hæ ſiquidem villorum ſitum & longitudinem imitantur, niſi neceſſitas declinandi ſinum & fiſtulam (vt notat Dinus) 3. 4.
in contrarium vrgeat, vel ipſa pars affecta, in qua rugæ contra ordinem villorum muſculi procedunt, veluti in fronte, ſupercilijs, & pube. At in fronte Paulus ſequitur Lib.6.
naturales lineas, in capite capillorum exortus, in brachijs & cruribus in longitudinem ſecundùm muſculos & tendones incidit, qui vt euitet neruos, arterias, principaleſq́; corporis partes, modò in rectum, modò in obliquum, prout res exiget, abſceſſus aperit, paruos quidem vna, magnos pluribus, pro ratione magnitudinis, tenuioribus tamen, atque ad puris exitum idoneis lineis ſecat. Plurimùm faſtigiati, incocti, tenues, & emortui ſunt excidendi, vt plaga ad triangulæ aut myrteæ, aut cuiuſuis alterius angularis figuræ ſimilitudinem euadat: nam orbiculariter qui exciduntur, difficilius ſaneſcunt. Qui non faſtigiantur, ſimplici diuiſione ſunt aperiendi. In bubonis inciſione, eſto longitudo per tranſuerſum ducta, non autem per cruris rectitudinem, quippe ita cùm crus inflecti-

mus, naturaliter cutis sibi applicatur, vt
13. ther. perhibet Galenus.

Excisio. Excisione vtimur in superfluitate partium adcrescentium naturali habitu, vt in nympha (quam, quòd multo promineat, Ægyptij in virginibus excidere consueuerunt,) & toto genere præter naturam. In membris item nigrescentibus & syderatis,
14. ther. id, est, syderatione, & necrosi, seu sphacelo affectis: nec solùm in his, verumetiã in alijs affectibus, vnà cum affectu ipso pars affecta exciditur. Nam columella aliquando vnà cum vitio ipso exciditur, & in herniosis bihernijsq; aliquid peritonei, in cruribus & testiculis vnà cum varicibus ipsæ venæ, tunica in naso cum polypo, & foratus dens cum foramine.

Arteriotomia. Arteriotomia est detractio sanguinis, vt
Lib. de phle. inquit Cælius, per arteriæ diuisionem, qua
Li. 1. cronio. vsus est Galenus in diutino dolore lateris illius partis, qua iecur septo transuerso committitur, atque omnibus doloribus qui à calida spirituosáq; substantia nasci videntur, necnon coxendicem dissectione arteriæ quæ in malleolo est, fuisse sanatam testatur.
Lib. 6. Arterias post aures incidere iubet Ægineta,

ta, in vertiginoſo affectu, & longis oculorum defluxionibus. hæ differunt à venis ſecundum aures ſitis, quas in defluxionibus ad coxam ſecare præcipit Hippocrates. 6.epid.

Phlebotomia venæ inciſio eſt, qua fit ſanguinis miſſio, cuius differentiæ capiuntur vel à venis quæ ſecantur, vtpote in capite, cubito, aut cruribus, vel à figura ſectionis, vnde dicitur obliqua, rectà vergens, vel ab euacuationis quantitate, vt mediocris, exigua, magna, ſeu parua, & copioſa, & hæc vſque ad ſyncopen, vel citra hanc, vel à modo detractionis, quia ſemel facta aut repetita, quæ epapherefis appellatur, vel à fine, qui triplex eſt. quandoq; enim fit, vt certam ſanguinis notitiam præſtet, quòd eius eſſentiæ proprietatem ob oculos ponat. fit etiam vt morbos quum diminuat, tum ſanet: ſiquidem trahere, reuellere, deriuare atque abeuacuare ſanguinem poteſt. eoq; patet, quòd plenitudini vtriq; eſt accommodata, vt in Galeni monumentis eſt relatum. Phlebotomiæ ſcopi quinq;, morbi magnitudo, ætas florens, virium robur, ambientis temperies, ac bonus corporis habitus. 4.r.a.com.20. At lib. de curatione

Phlebotomia. Ex li. de phlebo. & 1. & 6. aph. cō. 23. & 47.

3. de loc. aff.

ne per ſanguinis miſſionem duos tantùm ſcopos numerat, videlicet morbi magnitudinem & virium robur. Sanguis mittendus eſt ſecundum Hippocr. quum homo liberaliter aut parcius pranſus fuerit, ac biberit, quumq́; leuiter fuerit calefactus, calidiore die, magis quàm frigidiore. Nam ſi nihil in ventriculo continetur, venis ſugentibus animi defectio ſuperueniet, vt in parcioribus & ſobrijs, quales erant Hippocratis ſeculo. Nunc quum alia ſit ratio victus, per quam nullum ferè tempus eſt, quin in ventriculo non contineatur aliquid ſaltem pituitæ, debet ieiuno ſecari vena, vt vult Gal. Delectus ſecandæ venæ ſumitur ex ſitu affectæ partis, ex affectus magnitudine, ac ipſius præſenti conſtitutione. Auerſo homine ſanguis mitti debet: hic enim ad virium cuſtodiam aptior eſt. 9. th. ac ibi ſynochum patientem à phlebotomia dormire permiſit Galen. Quies certè conuenit ne humores crudi ocius commoti quàm par ſit, in partes irrepant. 4. de t. ſ. Sed Auicenna ſomnum prohibet, forſan quia ſubita mutatio noxam inducit. 2. r.a. Atqui ſanguis per ſomnum ad interiora vertitur. 6. epi.

Lib. de vic.

epi. ſimiliter phlebotomatum non propere nutrire oportet, ſed horis duabus à ſanguinis miſſione. 9. th.

Scarificamus partes corporis, aut phlegmone ſcirro'ue tentatas, aut tenſas, aut dolore vexatas, aut fluxione affectas, ſed quæ iam reſtitit: aut acri imbutas materia, aut veneno intrinſecus infectas, aut vbi materiam ex alia parte in aliam traducere conſilium eſt, veluti crura ſcarificamus affecto capite, aut materiam exundantem minuere ſtatuentes, potiſsimum vbi exundantia prouenerit à ſuppreſſa materia, quæ ſolenniter euacuari conſueuerat, puta, hæmorrhoidibus ſuppreſſis. Crura ſcarificamus antè lauacro vſis, aut calida per ſpongiam fontis: nam per anum venam ſæpius incidere, haud expedit, quippe cùm vna cum ſanguine vitalis excernatur ſpiritus. quamobrem à minus principalibus, puta, cruribus, detractio facienda eſt, vt ſcribit Galenus. cui refragatur Auicenna, aſſerens venarum pedis phlebotomiam vires magis quàm ea quæ venarum manus debilitare, niſi de copioſa ſanguinis miſsione eius dictum intelligas, quæ magis quàm ea quæ fit

Scapellatio.

Lib. de ſcar. 4. 1.

Locus Auic. declaratus.

fit in cubito, ſanguinem à corde reuellit. Galenus verò de exigua vel mediocri detractione loquitur. Prodeſt etiam ſcarificatio oculis diutina fluxione affectis, tum capitis affectibus, quiq; pectori dorſoq; eueniunt. Adhæc anginæ atque impactis humoribus, ſcapellatio rurſum carraxatio'ue, quã mox ſequitur cucurbitularum appoſitio, quæ phlebotomiæ vices quandoque ſupplet, vt exarat Auicen.

Sanguiſugę. Hirudines haud eũ qui in profundo eſt, ſanguinem extrahunt, ſed tantùm quo caro imbuta eſt, exugunt, vnde conferunt ægritudinibus ſubcutaneis, vt ſerpigini, impetigini, & his ſimilibus. licet ſanguinis extractio quæ ab illis efficitur, magis ab intimioribus partibus ſit, quàm quæ per cucurbitulas fiat, vt putat Auicenna, vtimur eis pro cucurbitulis. Ano admotæ hirudines ab omnibus euacuant membris. (4.1. 4. aph.cõ.2. & 1.& 12.3.)

Ventoſæ. Ex Paulo & Auic. Sicyæ, id eſt, cucurbitulæ, pyxides'ue ventoſæ, vitreæ aut æneæ ſunt, & magnitudinem habere debent ad ſubiectum membrum accommodatam. vnde variæ ſunt, paruitate & magnitudine differentes, quẽadmodum quædam longiore collo, quædam

dam verò latiore ventre præditæ ſunt, ad attrahendum alijs aptiores. Apponuntur inanes ſiue leues, id eſt, ſine ſcarificatione, vt retrahant materiam à parte ſui motus, vt apoſtema profundum extra euocetur, quò ad ipſum medicamen perueniat, vt apoſtema ad aliquod membrum ignobilius ſua vicinitate trãſferatur, vt membrum calefiat, & eius flatus ventoſi diſcutiantur, vt ad ſuum naturalem locum membrum redeat, à quo dimotum eſt, ſicut fit in enterocele, vt dolor mitigetur: nam vmbilico infiguntur, ad flatus ventris ventoſos, & dolores, qui tempore motus menſtruorum accidere ſolent, & præſertim adoleſcentulis. Quæ verò cum cõciſione admouentur, efficaciorem morborũ cauſis difflationem præbent, ita vt ab imis partibus moleſtantes materiæ auocentur: neque enim tam ſanguinem, quàm alios quoque humores educunt, præſertim ſi maiori cum flamma adhibeantur. Inciſionis altitudinem cutis craſsitudo præfiniet. Syncopis, ſi Raſio credimus, magis accidere ſolet, ex ventoſa tibijs affixa, quàm ex phlebotomia. 6.con.c.1.

Cornua citra calefactionem vehementer Cornua.

ptionis, dissoluitq; materias corruptas membro infixas.

Ossa diuiduntur cycliscis, id est, cauis excisorijs, scalpris, & scapellis. perforantur terebella, secantur seu serrantur serra, lenigãtur lima, extrahuntur vulcellis aut forcipe, vruntur cauterio. Reliqua diuisionis & cauteriorum organa scitè describit Albucasis. huc refer auriscalpia, auricularia, specilla, aurifusoria, ῥινεγχύτην, siue nasi fusoria, & instrumentum quod σαφυλοπακτὸν ab vua attollenda vocatur 9. Alm. metrenchytas seu vteri fusoria, vteri specilla, ani clysteres, & catheteras, id est, rectos syphones, syringas, & fistulas foratas, quibus in vesiccam aliquid infunditur; sed modum quo commodè per colem dimittuntur, ostendit Paulus, siquidem instrumentis aliquando vtimur, pro partis ipsius proprietate, vt ait Galenus.

Diuisionis in osse species.

Diuisionis organa. Lib. chirurg.

Lib. 6.

5. ther.

In diuisionibus sunt qui sequuntur præceptum Ptolemæi, quod est: Membrum ferro ne percutito, cùm luna signum tenuerit, quod membro illi dominatur. ex præcepto adhuc est, ne ventosæ admoueantur in initio mensis, quoniam humores nondum

Diuisionis documenta. Li. centiloq.

ſunt moti, vel excitati, neque in eius calce, cùm ſint diminuti, ſed in medio eius, dum humores excitantur, qui ſuo incremento inſequũtur incrementum quod in ſubſtantia lunæ augetur, creſcitq; cerebri medulla in caluaria, aquæ quoque fluminum fluentium ac refluentium augentur, vti Auicẽna teſtatur, quod ſenſu quoq; percipitur.

Lunæ uis miranda.

Compoſitionis in carne ſpecies.

Cõpoſitionis in carne ſpecies ſunt, vulnera & vlcera cicatricare, γαςϱοϱαφία, curtorum applicatio, inteſtinorum quæ prociderunt & vuluæ atq; ani collocatio. Vulnera ſanantur priſtina partium vnitate reſtaurata. quæ in partibus quidem inſtrumentarijs impoſſibilis eſt, in ſimilaribus verò non ſemper poſſibilis. Hanc itaq; reſtituere quãtum ad intentionem primam aut ſecundam ſola natura poteſt (eſt enim omnium operatrix) ab opere chirurgi, quod eſt in vulneribus, ſi quid alieni labris inciderit, remouere, mox applicare extrema diſtantium partium, atq; vt in vnum coacta ſunt, conſeruare, vinculo ex duobus initijs circundato, ſeu alligatione fibulis aut ſutura, poſtremò partis ſubſtantiã ſalubrem tueri, cũ mediocriter exſiccantibus, vt Gal. docet.

Vulneris curatio.

3. ther. & ar. par.

Deliga

Deligatio inquit Gal. partim ipsa sanat, partim sanantibus subseruit. Eius tres differentias Auic. dinumerat. Quarum prima σαρκογέννια, vt sic dicam, seu carnem producens nominatur. Altera expulsiua. Tertia retentiua. Deligatura nimis astricta aut remissa incommoda est. Quæ verò quod nimis est, declinat, tuta vocatur, fitq; fascia lata, vel angusta, paucis vel multis complexibus. Est autem fasciarum duplex vsus: aut enim per se aliquid efficiunt, aut efficientia medicamenta tenent, ac materiam quæ aliunde ad affectam sedem confluit, reprimunt, sicq; ab inflammatione defendunt, & eam, quæ iam recepta est, expellunt. Item quæ deducta sunt in vnum cogunt. Quare vtilissimè inijciuntur, quum amplior plaga glutinanda est. Idem de vinculis sentiendum. Lib. de offic. chir. 3. quarti & 6. th.

Infibulatio quæ hoc modo fit à quibusdam chirurgis, mihi non probatur. nam fibulant seu coniungunt vulneris oras, quas deinde perforant acubus, quas posteà cõplicant, incuruãtq;, & in fibulas, hoc est, circulos vertunt, qui quoniã celeriter rubiginem aut æruginem trahunt subinde noxij sunt. Infibulatio.

Sutura. Sutura bifariam fit, vna in ipſis vulnerum labris, altera in panniculis in eorum peripheria circunferentia'ue glutino hærentibus,ac agglutinatis,prior efficitur non ſolùm ad labra vulneris jam coacta conſeruandum,ſed etiam ad ſanguinis fluxum declinandum carnemq; generandum.

6.ther. Ad abdominis epigaſtrij'ue vulnus curandum, quatuor ordine præponuntur à Galeno,primò inteſtina in ſuum locum recondenda, ſecundò vulnus ſuendum; tertiò medicamen admouendum eſt,eiuſdem materiæ cum his quæ enæma, hoc eſt, ſanguinem ſupprimentia dicuntur, quartò autem ne pars inſignis ſimul afficiatur, prouidendum eſt. Sutura non debet adminiſtrari filo vel ſuniculo duriori, ne lædat, aut molliori, ne rumpatur; bifariamq; efficitur, vno modo vt peritoneum abdomini coaleſcere faciat, vix enim cum eo coaleſcit, vt pote neruoſum,altero autem modo quæ cognatæ naturæ ſunt, ea committit, vtique peritoneum peritoneo, abdomini abdomen,hic modus à publico & ex prompto, quo videlicet vno adactu per quatuor labra acus tranſmittitur, hoc diſcriminis

Gaſtroraphia.

habet,

habet, quod totum peritoneum intra abdomen prorſus abſcondit.

Colobomata in labijs, naribus, atque ore curantur, primum quidem inciſa vtrinq; cute, deinde adductis coniunctisq; inter ſe cutium oris, ac vtriuſq; quod caloſum eſt detracto, mox quæ reliqua ſunt adſutis & adglutinatis. Trunco itaq; naſo nares nouas facere docet Alex. Benedictus. Curtorum applicatio. 14.ther. 4. anato.

Vlcera ſanari prohibent quædam quæ ſunt primùm curanda, videlicet membri dyſcraſia, ſanguinis in quantitate vel qualitate peccatum, & oſſis corruptio. Præter hæc in vlceribus humidis ex ſanie, ſiccare oportet, in ſordidis detergere, in profluentibus id quod influit repellere, in ſupercreſcentibus reprimentia, & in cauis implentia imponere: ab his ſciſſionem vnire medicamentis ac cibis congruis. At exſiccandi modum partis paſſæ & vlceris temperamentum præfiniet, nam ſi pars fuerit radicalis tẽperaturæ valde humidæ, vlcus verò non, tunc exigua exſiccatio, in primo ſcilicet ordine, ſatis erit, quoniam morbus ipſe non multum diſtat à natura membri. Sed ſi membrum fuerit ſiccum & vlcus vehe- Vlcerum ſanatio. Ex 3. ther. & 4.1.

menter humidum, tunc quæ in ſecundo & tertio ordine exſiccant, ſunt neceſſaria, vt ſuæ temperaturæ reſtituatur. In temperatis verò temperata ſunt oportuna. Ad hæc & vniuerſi corporis temperamentum inſpicere oportet, quoniam ſi corpus immodicè ſiccum fuerit, & illud membrum quod eſt auctum in humiditate fuerit temperatæ humiditatis, in comparatione ad corpus temperatum, tunc debet æqualiter exſiccari. Itidem ſi corpus fuerit in humido auctum, & membrum declinet ad ſiccitatem. Sed ſi ſimul in exceſſum egrediantur, vel egreſſio fiet ad humiditatem, tunc maior exſiccatio conuenit, & ſi ad ſiccitatem, minor exſiccatio eſt neceſſaria. Porrò an parcius an nimium medicamentum ſiccauit, ita deprehenditur, ſi pluſculum ſordis ac ſaniei fuerit, parcius: ſi verò ſquallidum & exſuccum reddatur vlcus, ſupramodum ſiccauit. Præter hæc vlcera nulla madefieri debent, præter quàm vino, niſi articulum teneant, vt docet Hippocrates. Quoniam quod ſiccum eſt ad ſanum, quod madet ad vitiatum proprius accedit. ſed vlcera articulorum madefacere iubet, ne neruorum diſtentio

Lib. de vlc.

diſtentio ſuperueniat, relaxantibus & mollientibus, præſertim ſi articuli magni ſunt, non item vbi digiti vlcerantur.

In nerui & chordæ, id eſt, tendonis toni tenontíſue punctura à cōmoda totius corporis vacuatione, oportet vti medicamento dolorem ſedante, & phlegmonem prohibente, nam propter ſenſus vehementiam & quòd hæc pars cerebro continuatur, prompta eſt ad neruorum conuulſionem excitandam, ac tum præſertim cùm nihil extrorſum expirat obſecato cutis vulnere, proinde cutis vulnus apertum inglutinatumq; ſeruandum eſt, vt ſaniei quæ hinc oritur, pateat exitus, vulneri quoq; imponendum pharmacum tenue, modicè calefaciens, & admodum ſiccans, citra tamen dolorem, etenim id ſolùm ex profundo ſaniem trahit, ab illis verò quæ ſimul calefaciunt & humectant, reſoluitur ac putreſcit neruorum ſubſtantia, quoniam ex refrigerata concretaq; humidiore materia, condita eſt.

Neruorum vlcera.
Ex 3. ar. par. & 6. ther.

In neruo per directum vulnerato, ac præ nimia cutis adapertione denudato, oportet minima cum roſione ſiccare, cauendumq;

eſt ne quid ex remedijs frigidum, neruum contingat, frigidum enim neruis inimicum, vt ait Hyppocrates. Abluenda præterea eſt ſanies lana vino tepido intincta, non autem mordaci, ſed potius dulci, vel albo & tenui oligophoro. Neruus tranſuerſim cæſus haud aliter curandus eſt, ſed in vtroq; affectu ad declinandam (vt puto) conuulſionem Galenus madefacere iubet oleo calente & largo axillas, collum, tendones, ligamenta, & caput, ſi in brachio vel manu vulnus ſit. bubones verò, totamq; ſpinam, collum, & caput, ſi neruus cruris ſit vulneratus. Præter hæc hominem in quiete continere, minusq; nutrire decet. In neruo toto præciſo curatio communis eſt, cum ea quæ eſt aliorum vlcerum. Nerui contuſio ſine cutis contuſione oleo digerente ſæpiſſimè perfuſo curatur, ſi verò illi conſociatur cutis contuſio exulceratioq;, ſiccantibus & adſtringentibus eſt ſanãda. Syndeſmus, id eſt, ligamentum, copula, vinculum, qui ab oſſe ad os permeat, vulneratus feret fortiora ſiccãtia, quàm is qui in muſculum ſeſe inſerit.

5. aph.

Collocatio inteſtini & omenti.

In enterocele & epiplocele accidit vt laxetur vel diſrumpatur omnino meatus ille

qui

qui à peritoneo ad testiculum procedit: sic deinde vel in ipsum meatum, vel in eam tunicam quæ erithroides vocatur, omentum vel intestinorum aliquid delabitur. Recedunt etiam à propria sede intestina, quando dissecto peritoneo procidunt. quocirca in horum curatione affectuum, intestinum & omentum suis locis restituunt herniarij chirurgi, qui & lithomici, dein ceratum inguini, hoc est, fixuræ subijciunt, sub subligaculo, id est, triangula fascia crassa. cui imo loco pila ex panniculis facta assuta est, ad repellendum intestinum & omentum. Vel abdomen & aliquid iam rupti peritonei secant, posteà seminarium meatum auferunt, quàm fieri potest commodè, ab his peritoneum nodo aut sutura solidant. Aliud nouum curationis genus quod vnica punctione constat, primus quod sciam memoriæ prodidit Alex. Benedictus. Exomphalos qui triplici differentia comprehenduntur omnes sanat autor introductionis lino duplici per acum immisso, & vmbilico constricto. Li.24.prax.

Vulua prolapsa fœtido odore fugatur, vel grato allicitur, vel ventosa attrahitur. Repositio vteri & ani.

anus verò pulſione reducitur, vt refert Arnaldus.

Compoſitio nis in oſſe ſpecies.

Compoſitionis in oſſe ſpecies duæ, fracturarum coniunctio, & luxatorũ repoſitio.

Fracturarũ coniunctio.

Os abrumpitur quatuor de cauſis externis, in cuius fracturæ curatione quatuor agere debemus videlicet intendere, componere, alligare, & continere. At fractum os ſecundum tranſuerſum vel per longitudinem, primò in figuram rectam, hoc eſt, priſtinam naturalemq́; (quæ maximè tuta eſt, & ab omni dolore aliena teſte Galeno) reducitur, poſt reductionem immotum & firmum tuta deligatura gloſſocomio vel ſolenis alio'ue inſtrumento, quod firmet, & doloris nihil inuehat, eſt conſeruandum, donec callo ſupernato ſit alligatum. In fracturis enim vnitio ob oſſis duriciem, ſecundùm primam intentionem, id eſt, ex rore nutrimentali fieri non poteſt, niſi in pueris ac molliculis. Quantum verò ad ſecundam intentionem, hoc eſt, interuentu cuiuſdam ſubſtantiæ eterogeneæ fracturæ labra agglutinantis, in adultis & ſiccis corporibus fieri poteſt, in quibus præfata ſubſtantia, quæ callus, calloſitas'ue denominatur, ex

Cõ. 2. lib. de frac.

2. de motu muſc.

affecti

affecti ossis alimenti superfluitate comparabilis existit, quæ vt mediocritatem in crassitie & tenuitate, duricie ac mollicie seruet, naturæ salubrem victum suggere oportet. Erit autem victus salubris, quo tempore gignitur porus, moderatus, boni succi, multiq; nutrimenti: verùm à primo die vsque ad septimum, quo phlegmone timetur, tenuis, ac nonnunquam vacuatione purgationeq; est opus. & Hippocrates vti censet medicamento quopiam ex ijs quæ phlegmonem prohibent, extrinsecus admoto. Deligatura eiusdem sententia, tertio die solui debet, ne dolor pruritus'ue creetur, ac eius quod iam fracturæ infixum est, perspiratio prohibeatur, cuius occasione non modò noxius pruritus quibusdam accidit, sed etiam ex saniei acrimonia cutem erosam exulcerari, ea autem eluenda erit aqua temperatè calida, septima item à prima idem facere iubet. Galen. quo certè tempore apparebunt omnia, si nihil impediat, phlegmone libera, ac gracilia. Quare tunc licebit & ferulas circumponere, & soluere ex maiori interuallo: quandoquidem callus felicius ita prouenerit.

Lib. de fractis.

6. ther.

Ossibus

Lib. de fra-
ctis.

Ossibus contusis seu confractis multifariam, potissimùm cum vlcere, splenium circundandum asciæ seu dolabræ modo incuruum Hippocr. præcipit, illudq; vino imbutum tum austero tum nigro, æstate potissimum, quippe putrescunt siue oleo quis vtatur, siue cerato, cùm postulent amplius quàm reliqua siccari, vtpote vitio ipso reliquis maiore. quinetiam medicamenta quoque omnia ex siccantium sint numero: ex enæmis scilicet, quibus dum principiò quis vtitur, liquida insit forma, vt imbui facilè posśint, expedit. reliqua communia sunt, cum curatione prædictarum fracturarum.

In caluariæ fractura quæ ad internam ossium faciem peruenit, vulnus aperire oportet, & carnem ab osse secernere, lineis per transuersum mutuò se secantibus, ad angulos rectos, totamq; separare ab osse membranam, quæ sub carne caluam cingit: ne super os derelicta terebris lacerata inflammationem excitet. Osse nudato medicamentum superponere sanguinem supprimens & lentore meatus obstruat. quale est puluis Galeni cum aquato oui linamentis impositum. postera die sanguine iam suppresso

presso, caluam terebrare oportet, prius quàm tres dies transeant, vt docet Hippoc. non à latere sed in superiori parte nõ læsa, auribus Ægri obturatis xylino, ne pulsationis sonitum sentiat. sed quum terebras terebram sæpius educito, ne calefiat, frigidaq́; tingito. Chirurgia peracta menyngem gossipo deterge, in quam oleum effunde rosatum vt inflammatio inhibeatur, vt iubet Galen. 10. f. Contusæ parti apponenda quæ pus mouent, quæ verò contusa non sunt, siccare opus est. 4. ther.

Glossocomon glottocomion'ue instrumentum ad fracturam seu femoris seu tibię esse accommodatissimum, idq́; ignotum Hippocrati fuisse Galenus testis est, ab eoq́; graphicè describitur. illud quoq; ad viuum belleq́; pinxit, & ob oculos ponit Balamius. Solenis vtebatur Hippocrates: sunt enim solenæ instrumenta lignea aut plumbea aut papyracea chartacea'ue canalis modo facta, quibus os aliquod circunligatum compreheditur tutumq́; ad motiones redditur. 6. ther. 7. de vsu par. In cõ. 2. de frac.

Luxata inter se differunt, quatenus magis vel minus à naturali sede recedunt. Itaq; in luxatione, ossis caput seu summitas ab Luxatorum repositio.

alt

alterius osſis modiolo ſeu heminula, excidit antè retrò, ſuprà infrà, dextrorſum vel ſiniſtrorſum. Si articulus in totum excidit, exarthrema dicitur. cùm autem aliquatenus duntaxat emotum eſt, aut vſque ad tuberculum è ſinu elapſus, parathrema ab
Lib. 6. Ægineta denominatur. huius ſpecies in ſpinæ luxationibus conſpicuæ ſunt. nam vertebræ ſpinæ nunquàm ex toto prolabuntur, citra præcipitem mortem. Lordoſis eſt ſpinæ peruerſio in priorem partem. Cyphoſis in poſteriorem. Scolioſis in latera: hinc fiunt regibi & lordi à lordoſi. kibi hybi kyrti, id eſt, gibbi à ciphoſi. & ſcoliomeni ſeu obliqui per ſcolioſim. Omnium ſanabilium repoſitio fit ad oppoſitam partem ei à qua facta eſt permutatio intendendo atque impellendo: nam luxata in ſuam ſedem tribus tantùm modis collocantur, vnus vocatur paleſtricus, alter methodicus, tertius per organa eſt, vt ſcribit Oribaſius lib. de machinamentis. At partes repoſitæ firmantur conſeruanturq; emplaſtricis deligatione & ſolenis, ac futuræ inflammationi vacuatione tenuiq; victu ſuccurritur.

Cæte

Cæterùm omnis curatio fit per indicationem,quæ agendi insinuatio est:omnisq; indicatio à rebus quæ præter naturam, & ab his quæ sunt secundùm naturam desumitur. Priores sublationem sui indicant; proin contraria requirunt.Posteriores verò sui indicant custodiam, propterea quæ similia sui sunt, postulant. Res præter naturam, morbus, causa, symptoma. Curatio per indicationē fit. 1.ad glau. 3.& 8.ther.

A morbo indicatio accipitur, quæ semper est contrarietas, & principium tantùm est vnde medendi actio promouet. Itaque morbo simplici simplex adhibenda curatio est, hic verò debilis vel fortis existit, mitis vel malignus. In debili & miti in quibus periculum non impendet, à paruis incipiendum auxilijs est, at in forti & maligno alienissimum à ratione est,à minoribus inchoasse, nempe ad vltimos morbos vltima remedia maximè valent.In acutis raro & in principijs purgantibus vti oportet, in valde acutis si materia turget medicari eadem die expedit,contrà in chronicis cocta medicamur.Non tamen à tempore curationis consilium petendum est, sed à natura affectus, quam ex diuturnitate malignam cognosce re li Indicatio à morbo. 4.ther. 5.ther. 1.aph.24. 4.aph.10.

Lib. de vlc. 4. ther. re licet. ſic Hippocr. ex vlceris diuturnitate colligit malignitatem eius. Morbo compoſito non ſimplex adhibenda curatio eſt, nam pro affectuum numero, medendi indicationes reſpondent. Mixti morbi mixta præſidia exigunt. com. 4. lib. de articul. ſed prius ad id quod magis vrget, obuiabimus non tamen alterius cura omnino poſthabita, magis autem vrget periculoſior morbus, vel qui alterius eſt cauſa, vel qui rationem obtinet eius ſine quo non. In ſumma, in his conſiderandum, quis affectus cum quo, quis ſine quo, quis poſt quem, curandus vel non curandus eſt, vt docet Galen. lib. de ſubſ. empi.

3. & 7. ther. 1. ad Glau. & 4. 1.

Indicatio à cauſa. 4. ther. 5. & 6. de t. ſ.

A cauſa indicatio non ſumitur: externa ſiquidem tantùm ad effectus cognitionem conducit, & non ad curationis indicationem. Interna etiam prouidentiæ duntaxat præſtat indicationem, & non curationis. Veruntamen in mixta curatione indicare cauſa videtur, iuxta illud Galeni, omnes cauſæ morbificæ per contraria curantur, notum verò eſt vt idem ait, remediorum inuentionis plures pro cauſis affectus efficientibus ſcopos fore, ſi igitur præuiſio cum

2. aph. cō. 23. Lib. de facile parab.

cum medendo ſimul ſit mixta, curatio ſemper inchoanda eſt à cauſa interna, haud enim poteſt vllus affectus ſanari manente adhuc ipſa vnde natus eſt cauſa, quæ ſimiliter vt morbus per contraria curatur.

4. & 11. ther.

2. aph. cõ. 23.

A ſymptomate. Nullum ſymptoma qua ſymptoma eſt curationis rationem indicat, vt ſcribit Galenus, licet ex accidenti curandi rationem mutet, dum cauſæ locum habet, id eſt, ſi vires validè lædit, & demolitur, ac morbum auget, vel ſi morbo prævaluerit.

Indicatio à ſymptomate.

12. ther.

A rebus ſecundum naturam, & primum à partibus afflictis duplex eſt indicatio. Vna à ſimilaribus, quæ modum alterandi docet. Altera ex inſtrumentarijs, quæ locum per quem euacuare oportet, tum euacuationis rationem, tum in ſimilis ſpeciei medicamentorum vſu, pluris minoriſq́; modum demonſtrat. A ſexu & corporis habitu (qui duo comitantur temperamenta) atque adeo à colore, qui ſequitur humores & ſpiritus, teſte Ioannitio indicationes petuntur: corpora nanq; molliora vel natura, vel victus conſuetudine cuiuſmodi ſunt mulierum, eunuchorum, puerorum, & qui

Indicatio à partibus paſſis.

13. ther.

Indicatio à ſexu & habitu.

In ſago. 2. de comp. m. κατὰ γένη & 9. ſimpli. in 1. prax.

naturali temperamento ſunt humidi, candido molliq́; corpore prædití validiora non ſuſtinent medicamenta, contrà validiora corpora,hoc eſt,dura, & quæ temperie ſicciora ſunt,valentium vim poſſunt perferre, ſi quid Galeno & Tralliano credimus,quibus reclamare videtur Bertrucius, corpora ſicca in ferendis catharticis imbecilliora putans.

Indicatio ab ætate.

Ætas ad corporis habitus & non ad virtutem (quam tamen, vt opinatur Ioannitius,comitatur)referenda eſt.4.r.a.com.20. & 26. Pueri enim licet virium robur habeant, tamen ante decimum quartum annum ſanguinis miſſionem non ferunt, ſaltem integram, vt pateſcit libro de phlebotomia; quia propenſi ad exhalandos, digerendosq́; corporis ſuccos ſunt propter corporis habitum. Quoniam natura humidi calidiq́; ſunt 9.th. Itaque in angina,pulmonia & coſtali licet illis,ſed parce ſanguinem detrahere, hirudinibus ſedi admotis, vel per ſicyas à leui ſcarificatione. Auicenna in viriolis infantium à naſi vena ſanguinem elicit, & puero in trimatu Zoar venam ſecare iuſſit teſte Auer.7.collec. Neque ſenes

integr

integram ſanguinis detractionem ſuſtinent, præſertim poſt ſeptuageſimum annum, quia virium robur imminutum eſt. Quare eorum ætas in virium verbo compræhendi poteſt.

Conſuetudo interueniente morbi natura indicat: indicat autem victus medicamentorumq; inuentionem, in morbis & conualeſcentibus, eiusq; indicatio maxima eſt, quippe vel temperamentum originale ſeruat, vel ad aſcititium inducit: itaque ſimilium in morbis præfert indicationem. Ex conſuetudinis mutatione plures noxas memorat Hippocrates.

Indicatio à conſuetudine.

2. r. a.

Præter hæc ſunt quædam alia, quæ non prima ratione indicant, ſed ex accidenti, vt tres illæ facultates animal gubernantes, quarum indicatio licet omnium ſit prima, tamen non ſic prima, vt quæ curationem doceat, cùm ex numero curatricium indicationum non ſit, nam neq; vt valeamus, neque vt à morbis liberemur, ab ea quicquam petimus, ſed vt viuamus. Primùm dixi, quòd aliquando virtutis roboratio ad affectus curationem conducit, vt ediſſerit Galenus, vnde intermittendi ſanguinis

Indicantia per ſe & ex accidenti.

9. ther.

 ſcopos.

Li. de phleb. & 4. r. a. cō. 20. ſcopos, virium robur numerat, hinc eſt quòd in ſanguinis detractione epaphereſi vtitur, & in purgatione, epicraſi.

Indicatio à contrarijs. Ab his ſcire conuenit, quòd in contrarijs indicationibus digniores, maiores, atq; plures ſunt præferendæ, reliquæ tamen non omnino ſunt negligendæ, harum dignitatem colligit Galenus ex indicantium dignitate, quæ dignitas vel vitæ, vel ſanitatis reſpectu eſt iudicanda. Magnitudinem verò ex indicantium magnitudine, quæ vel propriæ ſubſtantiæ ratione, vel declinationis à naturali habitu ſpectatur. 8. ther. 11. ther.

Epilogus ex Galeno.

Quicunque ratione curaturus eſt, cognouiſſe debet cauſas, tum actionum ſecundum naturam, tum affectionum præter naturam, vt illas ſeruare, has è corpore eijcere poſſit. Modos item ſecundum quos actio fit, & locos, in quibus & inſtrumenta per quæ: actionis enim modus cognitus promptiores ad opitulandum nos reddit: nimirum qui naturæ opera imitemur. Locus localiter opitulari nos docet, ne illæſis particulis tanquam affectis fruſtra moleſtiam

ſtiam inferamus. Affectisq; tanquam ſanis non opitulemur. Inſtrumenta deniq; propriam ac ſuam cuiuſque oſtendunt curationem. Alio enim modo neruus affectus, alio chartilago, & alio carnoſum genus curatur.

*

FINIS.

HIERON. MONTVVS
D.Io.Bruyerino, ſuo, præcellenti in aula Regis Medico

S. P. D.

MAGNIFICVS *D.à Tur.ad quem clariſſima tui nominis fama peruenit, te conſulere iubet, ſuper tollenda nobiliſſimæ vxoris eius infœcunditate, quare qui etiam imperare poterat, me rogauit, vt tibi temperamentum aperirem. At ego ſciens quod non ab hoc præcipuè, ſed à rebus præter naturam curatrices capiuntur indicationes, de affectibus quoq;, qui in ea fœcunditatem remorantur, & offendunt, quos (dum de ſingulis per epiſtolam percontor) ab eadem diſcere potui, breuibus volui do.tuam certiorem reddere. Igitur præfata domina adoleſcens eſt, vel iuuenis, habitu totius corporis gracili, cuius temperies media inter actiuas qualitates inclinat ad calidum, inter paßiuas verò ad ſiccum, quod indicijs deſumptis ab eſſentiæ ratione, operationibus atque caſibus probare, haud eſſet difficile. Nunc eſt infœcunda, duplici (vt reor) nomine, tum quòd vterus ſemen genitale prolificum non retinet, tum quòd etiam retentum corrumperet. Illud euenit, ob lenitatem vteri à fluore muliebri contractam, hoc verò ab eodem corrupto profluuio, quod pallidum & liquidum eſſe ſcribit, vt pote ortum (vt opinor) ex bilioſi humoris cum ſeroſo humore redundantia, in vterum ex recenti abortu imbecillitatum defluente, hoc enim fluxu poſt nouiſſimum*

mum partum (nam ſemel & iterum peperit) in quo abortiuit, incepit conflictari. Non intelligo hic loci per abortum conceptus corruptionem quæ intra quadrageſimum diem incidit, vti diffinit Ariſtoteles, diſtinguens abortionem ab effluxione, ſed fœtum qui eo tempore & modo quo non debet, excernitur, & huiuſmodi fœtum in primis quidem menſibus aborſum, prope verò tempus pariendi æditum, abortum vocant, nam de abortu in decimo menſe facto etiam meminit Hippocrates. Nec eſt quod hic ex Cenſorino referam de temporibus ad pariendum aptis. Abortiuit autem octauo impregnationis menſe, non ex corporis vitio, ſed externa de cauſa, etenim reſupina ex ſubſellio delapſa, ſecundum dorſum icta fuit, haud diſpariliter ſaltus in Muſoërgo abortionem fecit, vt refert Hipp. Præceſſit abortum ſiniſtræ dolor coxendicis, lumborum & ſuminis grauitas, atque aquea per aliquot dies euacuatio, deinde abortiuus benè formatus natus eſt, viuus quidem ſed non vitalis, menſe nanque octauo natus nullus vnquam vixit, ſi Hipp. credimus, quod ſaltem verum eſt in locis Græciæ & noſtris, alioqui viuere & adoleſcere in terra Ægypto octimeſtres poſſunt, vt aſſerit Ariſt. Secuta ſunt abortum vehemens vteri dolor, vt par eſt, eiuſque inclinatio qua de nunc non conqueritur (vnde procidentia non fuit, nec tanta, vt exterius emineret, hancque ob violentam loculi expulſionem, laxatis vel ſolutis appendicibus, profundo vtero ſuperius inhærentibus eueniſſe, credibile eſt) atque diuturna diſtillatio, de qua ſuprà fecimus mentionem, quam ſanabilem putamus, etiam intacto vtero, ſed vniuerſo corpori adhibitis remedijs, vt ait Oribaſius, videlicet purgationibus cacochymiæ accommodatis, quæ

[Margin notes: 7. de hi. ani. — Effluxio. — Aborſus. — Abortus. — 5. epi. — Lib. de nat. fœt. — Lib. de carni. — Locus Hipp. declaratus. — 7. de hi. ani. — Vteri inclinatio & procidentia. — Fluoris muliebris curatio. — Lib. curationum.]

humorem qui in vterũ vergit, deriuant cùm per ventrem inferiorem hydragogis, tum per vrinam, illam mouentibus medicamentis, posteà superfluam totius corporis humiditatem per cutem dißipare conuenit, haud Lib. de prænosc. *tamen ignoro quòd Gal. vnctiones astrictorias muliebribus etiam locis adferre iußit, & victus rationem instituit ex potione paucißima & esu auium montanarum, pisciumq́ saxatilium, vt scilicet siccaret, non modò vteri regiones, sed & totum corpus quod erat natura crassum, alioqui gracilis (quale est præfatæ dominæ) cor-* 6. de t. f. *pori victus extenuans est inimicißimus, verùm hæc sicut obiter, ita à me in hoc non dicuntur,* ὡς ὗς τὴν ἀθλίαν *sed quam concepi de ea per te curanda, spem declararem, huic ergo medere tuo consilio* εὐτυχῶς καὶ σὺν ἀγαθῇ τύχῃ, *vt sobolis spes sit multos non vana per annos. Cæterùm in primo tyrocinio aliquot ex Græcis, Arabibus & Latinis authoribus sententias congeßi, quas ad purgationem concinnatas tibi visum est dicare, vt sint mei in te animi qualecunq́ documentum, dum dabitur aliud nostra neceßitudine dignius: nam tibi debeo, quòd mihi Latina per te facta Auerrhois collectanea dedicauisti. Vale. Lugd. 1540. pridie Calendas Februarij.*

*

SYLLOGE DE PVRGATIONE EX DOCTRINA GRÆcorum, Arabum, Penorum, & Latinorum.

D. Hieronymo Montuo Autore.

QVVM nihil medici mentem tam acriter angat, nihilq; maiori indigeat examine, quàm medicamenti purgatorij exhibitio. Quod etiam Galen. affirmat. Erit operæpretium cognoſcere vbi vacuatio requiritur, quale, quantum, quomodo, & quibus exhiberi debeat pharmacum. Hoc autem eſt diffinire, qua ratione facienda ſit euacuatio, & quæ debeat eſſe euacuanda materia, per quam regionem, quo tempore, & qua menſura. Idq; ex doctiſſ. ſpectatiſſimiq; veterum recentiorumq; Authorum monumentis. Quorum ſententias ſubteriori ordine congeſſimus.

De purgatione, eiusq; differentijs, & per quæ loca fieri debeat purgatio.

CAP. PRIMVM.

PVRGATIO ſecundùm Platonem in Timęo triplex. Vna, quæ exercitatione gymnaſtica fit. Proxime ad hanc accedit vectio facilis ſine naui. Tertia eſt, quæ pharmacis fieri ſolet, qua de Galenus, quum inquit excerni contigerit quæ corrupta ſunt, purgatio eſt corporis. Quum verò excernuntur, quæ vi morbi fiunt, vacuatio. Inſuper purgatio, ait, eſt humorum qui ſua qualitate moleſtant, euacuatio. Attamen non ſolùm propter cacochymiam purgatio fit, ſed etiam propter vim morbi adhibetur. Interdumq; phlebotomiæ vices ſupplet. Si vires, ſcribit Galen. imbecilliores dehortantur à miſſione ſanguinis, deiectio mediocris adhibenda eſt. Et tantundem, inquit, cùm ſanguinis miſſione valent, hæmorrhoidas retentas mittere, menſtrua ceſſantia prouocare, malleolos ſcapello incidere, & aluum medicamento deijcere. Itaque plethorico ſano nõ ſtatim mitti ſanguinem eſt neceſſe. Imò ſatisfacit inedia, alij cibi parcitas,

Comm. 3. 1. prorrh. Comm. 2. 1. aph. 4. ther. 4. de t. ſ. 4. ther.

citas, alij ſoluta aluus, vel purgatio, vel frequens balneum, alij ſola exercitatio, vel multa frictio, abundè fuerit. Vnde pateſcit, quòd ſunt euacuatoria auxilia, quæ idem quod & venæ ſectio, verùm longiore tempore efficere poſſunt.

Purgatio iuxta Hippocr. ſpontina eſt, 1. aph. 2.
quæ à natura, vel artificioſa, quæ per artem 3. ar. par.
efficitur. Purgatio quoque alia communis eſt, quæ à toto corpore vacuat: alia propria, quæ à loco in quo coaceruatur materia aſſumitur. Et hæc vel eſt pars communis, vel
particularis tantùm, vt declarat Gentilis. 1. 3.
Prior à toto corpore, ſed præcipuè à paſſo loco: poſterior ab hoc duntaxat euacuat.
Meſues vocat vniuerſalem purgationem c. de ſoda.
quæ materiam vacuat, cui accidit auctio à communitate totius, aut plurimorum aut famoſorum membrorum, aut eorum quæ ſunt minera illius, ſicut hepar ſanguinis, cyſtis bilis, ventriculus phlegmatis, & ſplen melancholiæ. Particularem autem appellat, quæ ab excretorio ſeu emiſſaculo alicuius principis membri materiam educit. Purgatio item vna eſt reuulſoria, alia deriuatiua, prior ad contraria auertit, poſterior ve-

rò

Li. de succis 4. ther. li. de vlc.

rò ad latus deriuat. testibus Hippoc. & Gal. ob eam rem purgatio per aluum plerisque vlcerum prodest, vt idem dixit Hippocr. Purgatio rursus quædam est diminuens quę noxium superuacuum diminuit, & quædam exquisita seu abeuacuans, quæ totum ferè illud educit, & eradicat. Illa duplex est, vel enim quocunq; modo corporis recrementa educit, vel vi attractoria familiarem succum noxium expurgat, vt innuit Conciliator. hæc verò fortis est debilis vel mediocris, vtpote quæ fit à laxatiuo valido, debili, vel mediocri. Purgatio insuper quædam efficitur integra, id est, semel & ex toto. Quædam verò per interualla, paulatim'ue fit: hac vtitur Trallianus in cephalalgicis, Arthriticis: ad humorem melancholicum Mesues: in morbis chronicis Auenzoar: in pituitosa emphemerinaq; febri Auicenna. Itaque vbi cum corruptione humorum virtus est imbecilla, paulatim quod vitiosum est, vacuare iubet Galen. & paulatim inuicem quod salubre est, reponere. Quæ vitiosi succi curatio dicitur epicrasis. 9. ther. & Syrmesinos vocat mediocres euacuationes, siue per aluum, siue per vomitus fierent.

Differentia. 116.

rent. com.2.lib. de articul. purgatione rursum aliqua vtimur in curationem,& aliqua in pręcautionem. prima aphor. comm. 21. Purgationis differentiæ sumptæ à locis per quæ fiunt, sunt, deiectio, vomitus, vrina, menses, sudor, expuitio, mucus. Alui solu- 4.1.
tio trahit à partibus superioribus & eradicat ab inferioribus. Vomitus attractionem & euulsionem opposito modo efficit. Per vrinam euacuantur superfluitates quæ in venis, gibba epatis parte, renibus, vreteris, & vesica continentur, interdumq; quæ extra septum transuersum constitutæ sunt. nam pulmonis vomicam per vrinam, & thoracis per intestina expurgari vidit Gal. Menstruorum profluuio, venarum sanguis 6.de lo.aff. c.4.
inutilis & superuacaneus non quantitatis modò, verùm qualitatis etiam ratione deijcitur. Per sudorem quæ in toto corpore Li.de col.ni. 3.art.par.
sunt excrementa, educuntur. per sputum verò simul cum tussi, quæ in spacijs pectoris laxioribus existunt, sicuti quæ in capite, per mucum.

Canones, quæ ducere oportet, quo ma- 1. aph. 21.
ximè natura vergit, per loca conferentia eò ducere. medicari æstate superiores magis,

Ex 4.aph. gis, hyeme verò inferiores. Graciles & facilè vomentes purgare ſuperius cauentes hyemem. Nam æſtate, autumno, & vere magis ſuperiores. Vomentes difficulter & mediocriter bene carnoſos per inferiora, cauentes æſtatem. Tabidos cauentes ad ſuperio-
2. aph. 35. res purgationes, propter ſpiritualium partium imbecillitatem. Ventris imi tenuitas ad inferiores purgationes eſt periculoſa. Melancholicos plenius inferiores. Lientericos hyeme ſuprà purgare malum. Supra præcordia dolores purgatione indigere per ſuperiora ſignificant: qui verò per inferiora moleſtant, per inferiora. Non febricitantibus ſi tormina acciderint, & genuum grauitas, & lumborum dolor, purgari inferius
3.ar.par.2.ad Glau.7.11. & 13.ther. oportere ſignificatur. Deniq; particularium membrorum euacuatio fit per indicationẽ ſumptam à ſitu, vt Gal. demonſtrat.

De affectibus quos purgatio declinat & ſanat. CAP. II.

Li.de.vi cathar. & 6. aph.cõ.47. GALENVS purgatione tertianam febrem, melancholiam, arthritidemq; declinauit. ſanauit autem complures ab alopecia vnica purgatione. cancrum in mammilla

milla & incipientem elephantiasim & depascentia,multaq; alia vlcera curatu difficilia, & pustulas vlcerosas ac malè coloratas, item insanientes comitiales & non paucos diutino capitis dolore vexatos purgando tantùm, liberauit: vt & coxendices,& longis doloribus alijs in partibus infestatos. atque illum quem, tanquam colo vexaretur, tribus iam mensibus medici tractauerant, in peius abeuntem, solis purgatorijs sanitati restituit,muliebremq; fluxum ac alias vteri ægritudines, oculorumq; obtenebrationem purgatione exemit. & si humores in aliqua parte firmati non sint mouendi:etenim, vt exarat Galen. quicunq; inflammationes in morborum principio medicamẽto conantur soluere, nihil de eo auferunt, quod intentum est,atque inflammatum.tamen ex his quibus oculi tentari phlegmone cœperant, nonnullos sola purgatione per aluum, vno die sanatos fuisse idem testis est. Consueuit itaque ventris purgatio destillationes sistere. hinc est quòd ea in quibusdam alui profluuijs vtitur Aëtius. Vt summatim dicam,morbos ex repletione curat euacuatio. & sicuti plethora sanguinis missione

Lib. de præ-nosc.

4. aph. cõ.1. & 4. r.a.

13.ther.

Lib.3.

missione curatur, tum frequenti balneo, tum exercitatione, tum frictione, præterea digerentibus medicamentis, & præter hæc omnia inedia. sic cacochymia purgatione,
13.ther. quæ cuique superanti succo sit accommodata, corrigitur.

De idoneis & ineptis ad purgationem. CAP. III.

4.1. DECEM recensuit Auicenna quæ rectum adferunt iudicium de euacuatione facienda vel non facienda: nempe repletionem, vires, temperaturam, habitudines corporis, accidentia, ætates, tempus anni, regionem, consuetudinem, exercitia, de ido-
2.aph.10. neis ad purgationem loquitur Hippoc. non pura corpora quantò magis nutris, eò ma-
6.epi. gis lædis. Si impurgatus quis laborauerit vl-
2.aph.15. cera erumpent. Vbi fauces ægrotant & tubercula nascuntur in corpore, excretiones inspicere oportet. nam si biliosæ fuerint. corpus vnà ægrotat. si similes sanis tutum est
2. aph.8. corpus nutrire. Si à morbo cibum assumēs non roboratur, pluri alimento corpus vtitur, quo vires grauantur. si non assumente
1.aph. cō.24 cibum hoc accidat, indiget euacuatione.
In sum

In ſumma purgationi inhabiles ſunt qui purum corpus, eiusq; ſalubritatem habent. Pingues item & prægraciles, & qui multo ſanguine abundant, vt ſentit Aëtius, & qui citò vomunt ex omni occaſione, & qui naturales euacuationes validas habent. Qui ab alui profluuio maximè capiuntur, vt balbi, hiq; quibus ventris imi tenuitas adeſt. Qui etiam corpora non habent fluida, & multa cruditate laborant, vt intemperantes, vinoſi, & ventri dediti, hypocundriaq; habentes extenta ac inflata. Et qui prauo vtuntur cibo. Iſti nanque citò exoluuntur, quia paucos habent probos humores, vt inquit Gal. hos tamen purgatione non offendi putat Oribaſius, præterea Ariſtoteles author eſt, quòd alui fluentioris ſunt animalia, in quibus longiora ſunt crura. Et propenſiora ad vomitum, quibus latius eſt pectus, 1. de par. animal. 2.aph.cō.36

De temporibus ad purgationem aptis.

CAPVT IIII.

IDONEA ad purgandum tempora ſumit Hipp. ab ambientis temperie, quibuſcunq;, inquiens, phlebotomia aut purgatio 6.aph.47.

 conuenit,

4.aph.5. & 6. conuenit, hos vere purgare, aut venam incidere oportet. Item sub cane & ante canem difficiles ſunt medicationes. Inſuper æſtate vomitum indicit, bile ſcilicet redun-
Lib. 1. dante in ſtomacho. Celſus eum hyeme procurat magis: quia ventriculus per id tem-
Lib. de purgandis ho. pus pituita grauatus eſt. Gal. eos qui æſtate febri tertiana corripiebantur, purgabat decedente vere, eos verò qui humorum craſſitie in morbos incidebant, inchoante vere. Itidem à ſyderum influxu apta ad purgatio-
Lib. de ther. ad pamphi. nem tempora capiuntur, nam ſi Gal. interlunium vel quartam lunam in theriaces propinatione eligit, par eſt vt in dandis cathar-
Lib. 3. & 1. th. 6. col. ticis eãdem magis obſeruet, quod & Aëtius & Aliabbas faciunt. Auerrhois etiam magis commendat illos qui ſeptimo quoq; anno purgantur, vacuanturúe, quàm alios qui quotannis, quandoquidem, ait, rarò niſi certis circuitibus accidunt morbi, aut non
Lib. 2. longè ab ipſis. Sed Auenzoari temporis electio iuxta aſtronomorum pręcepta non probatur, pòſtremò à corporis præparatione, humoriſq; alteratione purgationis tem
4. aph. 10. 6. epi. pora deſumuntur, etenim, vt ſcribit Hipp. antè potionem hellebori corpora pluri ci-

bo &

bo & quiete humectanda. Idem, Si, inquit, volueris eum qui helleborum bibit, celerius purgare, lauare aut comedere oportet. Lauare scilicet pridie ante assumptionem purgantis medicamenti, lauacrum enim humores diffundit, corpusq; laxius ac mollius reddit: comedere verò quæ extenuant, & incidunt humores crassos ac tenaces, & meatus aperiunt. Iterum corpora, ait, purganda oportet fluida facere, fluida autem fiunt, vt enarrat Gal. extenuando & inci- 2.aph.9.
dendo humores & meatus aperiendo, per quos attrahuntur humores à medicamine & foras transmittuntur, & quando istud negligitur, difficiles fiunt purgationes, vnde Auicenna non modò solutioni sed vomitui 4.1.
etiam præponit humoris attenuationem, & meatuum dilatationem reclusionemq;. Itaque, cocta medicari, & mouere non cru- 1. aph.22.
da, modò non turgeant: plurima verò non turgent: deiectio enim crudorum humorū vt exarat Gal. tormina & rosiones creat, 4.de t.f.
animiq; deliquia, cum eo quod nec notatu quippiam dignum educit, quando crudi omnes succi, pigri & ad motum inepti, propter crassitudinem frigiditatemq; sunt, quò

 fit vt

fit vt omnes etiam anguſtas vias obſtruant, 4.1. per quas id quod medicamentum deijcit, ferri ad aluum debeat: itaque nec ipſi educuntur, & alijs ſunt impedimēto. Auicenna Lib. 3. poſt concoctionem ante euacuationem exhibet attenuantia. Porrò coctio præcipuè Lib. de vi cathar. & de conſt. ar. m. in craſſis & viſcoſis humoribus eſt expectanda, vt tradit Aëtius, & in quibuſdam Li.1.c.16.1.4. biliosis vtpote craſſis (vt patet de purgatione Arquati, apud Galenum. Quod etiam aſſerit Trallianus, & aduerſus Raſium Auicenna) non item in ſubtilibus & ſeroſis, qui vt Aëtio viſum eſt, in morbi ſtatim principio educendi ſunt. Breuiter, ante concoctionem purgatio conuenit, vt mea fert opinio, cogente qualitate humoris manifeſta vel occulta, quantitate & loco, huius Lib.13.epiſt.1. etiam ſentētiæ eſt Manardus. Ad ſummam idoneum dandi cathartici tempus oſtēdunt motus naturæ, vel morbi, vel vtriuſque. Ad hæc Ægri vires, æris conditio, & quæ præceſſerunt, vel adſunt, vel impendent ſpontinæ vel noſtræ vacuationes vt docet Galenus 9. ther. ſiquidem idoneus motus adiuuandus eſt, deprauatusque prohibendus. Deprauatus autem eſt, ſi ante concoctionem

nem natura euacuat. Item ſi per loca non conferentia,& tunc trãſferendus eſt 1. aph. com.21. Motus morbi celer vt in acutis,vel in aliꝭs errabundus, in principio crudam materiam euacuari permittit,1.ap.com.24. & 4. aph.com.10.

De quantitate purgationis. CAP. V.

QVEMADMODVM in ſanguinis detractione, ſic in purgatione quantitas laudabilis & neceſſaria iudicatur ex morbo, ætate,& viribus: ex repletione,& aëris ambientis temperie in tempus & locum diuiſa, hiſq; quæ in anteacta acciderunt vita circa comeſorũm tùm quantitatem, tùm qualitatem excretionibuſq; ac motionibus aut factis aut non factis. Ergo,vt inquit Gal. intentio quantitatis euacuationis, non ſolùm humorem reſpicit ſuperabundantem, ſed & vires eius, qui debet euacuari. Iuxta illud Hippocratis, Quum medicamentum datur, æſtimandæ ſunt vires. Neque enim euacuare,neq; replere ſupra modum oportet. Repente etiam euacuare periculoſum eſt. Porrò præſidiorum quantitas ſingulorum,vt ſalubriter offeratur,artificiali indiget

Lib. de phl.

1.aph.com.3.

Lib.de vul. cap.

2.aph.51.

coniectura, ſed iam factæ euacuationis quantitas ex facilitate tolerantiæ iudicatur 1.aph.com.2.

De indicijs bonæ ac malæ purgationis.

CAP. VI.

1.aph.2. QVANTITAS conferens euacuationis indicatur ex facilitate tolerantiæ, ſimiliter & qualitas, nam in ſpõtinis euacuationibus, ſi talia purgentur, qualia purgare oportet, confert & leniter ferunt: Quòd ſi aliorum fiat vacuatio, & non eorum quæ moleſtant, contrarium euenit, neq; enim con-
4.aph.2. fert & grauiter ferunt, vt refert Hipp. & in medicationibus, inquit, talia educere è corpore, qualia & ſponte prodeuntia, vtile. hinc colligit Galenus quòd tolerantiæ facilitas vel difficultas indicat de bona vel noxia purgatione, id eſt, de quantitate & qualitate euacuationis conferente, vel non con-
4.aph.19. ferente. Qui in medicamentis purgati non ſitiunt, non quieſcunt priuſquam ſitiunt.
4.aph.cõ.21. Deiectionum colorum varietas à purgatione non eſt mala, ſponte facta mala. Syn-
2.progn. cerior deiectio & vomitio & ſcreatio mala. Meras deiectiones appellitat Galenus illas,

quæ

quæ natiuum colorem retinent, nullo humore confuſum alio, quæ certè ab artificioſa purgatione, non conſpiciuntur, purgatorio enim medicamento non ſolùm colore, ſed etiam natura immutatæ deiectiones educuntur, & hac vna in re (ſi Galeno credimus) ſolùm diſtat purgare aliquem, & eidem ſanguinem mittere, nam ſanguis aperta vena qualis prius inerat euocatur. com.2.3.epi. Lib.de vi cathar.

Canones purgationis vniuerſales. CAP. VII.

PVRGATIO ſanguinis miſſionem precedere debet, vt opinatur Auenzoar, quoniam venæ ſanguine inanitę ſuperuacaneas ſuperfluitates,& ad alendum non idoneas, ſuggunt, ab his quæ vitioſa temperamenta afficiuntur. Raſius quoque comprobauit 6. conti. in noſocomio pleuritide laborantes omnes interijſſe, quibus detractio ſanguinis ante purgationem adhibita fuiſſet, forſan quòd in penitiori corpore(vt interpretatur Auerrhois)ſuccorum vitiatorum copia immerſa 7. col. latebat, quæ vbi mota agitataq; fuit, perniciem ægrotantibus attulit, at iſthuc zoaris placitum, vt mihi quidem videtur, verum

est de purgatione debili, non item de forti;
6. epi. 4. r.a. 4. de t.f. l. de ren.aff. etenim Hip. Galeniq; præceptum est, quòd vbi, necessitas nos cogit venam incidere, & aluum soluere, velut cum veratro & alijs fortibus medicamentis, tunc à sanguinis missione inchoandum est, atq; istis suffragatur Auicenna. 4. 1. 1. aph. 21. Quæ ducere oportet quò maximè natura vergit, per loca conferentia eò ducere. Semper purgatio yniuersalis particulari præponenda est, vt prodit Mesues, nisi materia sit non multum exuberans, sed modica, & repletio in corpore particularis tantùm, & membrum à quo vacuamus potius dispositione primaria, Lib. de succis & 5. ther. 6. epi. quàm per consensum afficiatur. Reuulsio & deriuatio secundùm Hipp. sunt omnis immodicæ euacuationis communia remedia. Dolorum, vt idem ait, proximum ventrem purga, nam purgatio fieri debet ex proxima concauitate, quæ cum loco affecto communitatem habet. Si cum viribus imbecillis corruptela humorũ incidit, oportet paulatim quod vitiosum est vacuare, & paulatim inuicem quod salubre est, pro eo reponere. Vocant Græci eiusmodi vitiosi succi curationem ἐπίκρασιν vti tradit Galenus,

nus, qui itidem dolorem ab erodente humore ortum per epicrasim sanat. Purgatio requirit fluuida corpora, in Ægro præsertim si purgationis adsit difficultas, & non facilitas, vt dicit Actuarius 3. meth. Idem non à vehementibus, sed à moderatioribus assumendis auspicari suadet, partim vt sensus Ægri exploretur, partim vt exercitatus vehementiora tolerare discat. Picrocholis licet per Auicennam bibere, & pharmaco præponere aquam hordei, succumq; granatorum, vel aliquod tenue, facilisq; concoctionis alimentum. Vetat tamen esse & bibere, donec pharmacum suum perficiet officium. Nisi ventriculus inediam non ferat, eò quòd ad eum facile bilis confluat, tunc enim panis pauco vino maceratus offerendus est. Siccioribus & qui scilicet facilè non vomunt, humidum liquidumq; pharmacum dandum. his qui contrà se habent, pilulæ dandæ, vel baccelati purgantes, aut trituræ. Sorbitio cremoris ptisanæ protinus sequi debet validi potionem purgatorij, vt deorsum trahat, quod in transitu ex potione adhæret & quantitatem illius temperare, permutareq; possit. Sed vbi pur- 9. & 12. ther.

1. r.2.cō.12. gatio cœpit à ptiſana abſtinendum ne phar maci operatio exoluatur, vt monet Galen. Super potione cathartici ſtatim quieſcere oportet, vt ipſum natura amplectatur, agatq; in ipſum, vt iuſſit Auic. tumq; vtiliſſimum erit, quæ nauſeam arcent olfacere, (de quibus vt Moſes ait, efficaciſſimus eſt cepæ odor,) extremaq; deligare, atque ſumere aliquod, quod adſtringendi vim habeat, vt eſt cytoneatum. Sumpta hiera modicè corpus ambulatione mouendum, vt celerius deſcendat, conſulit Gal. 7. ther. Somnum à potu validi non item debilis cathartici concedit Auicen. cui refragari videtur Neocomenſis. Sanè debile purgatorium per ſomnum redditur imbecillius, quia per ſomnum virium robur augetur, vt ait Actuarius. At validum pharmacum vim habens deleteriam in ſomno euaporans principes partes offendet. Proinde mea quidem ſententia à potione pharmaci haud dormiendum. Eſt etiam ſomnus inutilis quum operari pharmacum incipit vel deſinit. Qvum volueris magis ducere catharticum, moue corpus, quum verò ſiſtere, ſomnum facito, & ne moueto. 4. aph. 15. A potu phar

maci

maci qui non purgantur, his optimum eſt glandem ano indere, & ſumere maſtiches pulueratæ vnciam ſemis ex aqua tepida. Malum etiam commanducatum os ventriculi corroborat, corroboratum ſpurcitias infernè protundit, vt ait Aët. Purgata corpora ſtatim poſt purgationem, quòd exoluta à pharmaco ſint, tolerare alimoniam non poſſunt, nec probe conficere, niſi fuerint exigua: 2.r.a.com.13. Poſt vacuationem partem euacuatam roborare, & confirmare imperat Gal. 7.ſ.& 14.ther.

De purgatione puerorum & ſenum.

CAP. VIII.

PVERI ſanguinis miſſionem non ſuſtinent, promptè enim eorum ſubſtantia propter humiditatem, tum propter temperamenti caliditatem euaporatur, detractione igitur ſanguinis non egent, qui habent 4.r.a.cõ.20. inſitam, naturalemq; euacuationem, & eadem de purgatione ratio exiſtit. Nec pueri tantùm, ſed alij quoque propenſi ad exhalandos, digerendosq; corporis ſuccos ſunt: videlicet qui raro ſunt corporis textu, & quibus os ventris amara bili abundat, aut

imbe

imbecillum eſt, aut ſupra modum ſenſile, præſertim in cœli ſtatu calido nimium & ſicco, ſub quo anni tempus & regio compræhenditur.
9. ther. Ætas, inquit Galen. ad corporis habitus, & non ad virtutem referenda eſt, nam pueris propter habitus mollitiem ſucci perſpirabili cute facile digeruntur, ſenibus non facile, propter ſiccitatem & frigiditatem. Eſt ergo perſpirabilis ſecundum Galenum cutis in pueris non quia rara, ſiquidem in illis eſt magis continua, & minus perforata. In ſenibus contrà plurima habet ſpiramenta, vt declaratur 2. de temp. & primo. ſ. Mulier, capra elaterium comedentes pueris purgatio. 6. epi. Indicare nimirum videtur Hippocrates pueros nutricis lacte eſſe purgandos: cui propinanda ſunt medicamenta vim purgatoriam habentia, non tamen adeò valida vt eſt elaterium, ſed potius manna, atramentum calami dulcis, rhabarbarum, & de compoſitis, ſyrupus de cich. cum rhab. vel roſatus Diaprunum ſimplex, & huiuſmodi alia, nam ſicut à phlebotomia arcendi ſunt pueri, ſenes, & vterum gerentes, niſi maior vrgeat neceſſitas. Ita in purgatorijs quoq; eſt agendum.

4. r. a. cō. 26.

dum. Nisi ex eorum numero fuerint, quæ aluum subducant, aut fæces explodant, illa, vt inquit Actuarius, ὑπήλατα, hæc ἐκκοπρώτικὰ nominant. Neque pueri, neque senes euacuationes integras sine noxa tolerant, neque qui mollem & tenellam & defluentem habent carnem. Hosce igitur omnes, vbi dispositiones hortentur, non semel, nec ex toto, sed paulatim oportet euacuare, inedijs moderatis, & frictionibus, & clysmis mollibus, inunctionibusq; & cataplasmatis, & balneis, ex primo ad Glauc. At 5. de t. s. purgatio in præcautionem senibus laudatur, etenim vrinas illis quotidie mouere, & aluum soluere, non per diuretica, nec in aloë, nedum per valida pharmaca, sed potius per cibaria medicinalia præcipit. Similiter ad eos qui neque venæ sectionem, neque purgationem sustinere nolunt, aut non possunt, abstinentia ciborum constituenda est, glandes & clysteres moderatè fortes, & pharmaca vmbilicaria imponenda, vt tradit Aëtius.

3. metho.

De purgatione prægnantium. CAP. IX.

VTERO gerentes si acutis conflictantur

tur morbis & materia non turget, purgandæ non ſunt, maximeq; illis veterum catharticis agitatorijs, quæ aborſum facere poſſent, ſed purgandæ veniunt clemētioribus: qualia ſunt medulla ſiliquæ Ægyptiacæ, manna, rhabarbarum. Si verò materia turget, non modò à quarto menſe vſque ad ſeptimum, ſed etiam in alijs menſibus ſunt medicandæ, vt colligitur 4. aph.1. & 5. 29. Verùm magis ſanari à morbis acutis prægnantes, & minus eſſe obnoxias aborſuſ in tertio & quarto menſe, quàm in aliquo aliorum Manardus affirmat, nam fœtus trimeſtris & quadrimeſtris omnium maximè iniurijs reſiſtit, ſicut Galenus etiam aſtruit. com. 3. primi epi. Mulier vtero gerens ſanguine miſſo ex vena abortit, & magis ſi fœtus ſit maior. Ex quo aparet quòd Hippocrates purgationem in prægnante venæ ſectioni prætulit. Contra Auerrhois, ſanguinis miſſionem ſi adſit plenitudo qua fœtus non egeat haud reformidat: deiectionem autem quæ catharticis agitatorijs efficitur omnino nec properam vetat. 7. collec. Equidem cum Cōciliatore autumo, quòd ſicut copioſa ſanguinis detractio in præ-

Lib. 15. epiſt. (margin note beside "quo aliorum Manardus affirmat")

diff. 106. (margin note beside "Equidem cum Cōciliatore")

gnan

gnante periculosior est purgatione, quæ fit per hypelata (quæ Auicenna vocat laxatiua debilia & benedicta, quoniam clementer & blande purgant) præsertim in vltimis tribus mensibus, in quibus fœtus maior, maiori indiget alimento. Ita purgatio quæ per valida cathartica efficitur, minus tuta est, quàm exigua vel parca quæ in primis tribus mensibus fit per phlebotomiam euacuatio.

De purgatione in acutis morbis. CAP. X.

PVRGATIO in acutis morbis, vel est diminuens, vel abeuacuans. prior competit in eorum principijs, posterior verò in declinationibus, nam cùm morbi inchoant si quid mouendum videtur, mouere præcipit Hippocr. quum verò consistunt ac vigent, quietem habere melius est, circa prin- 2.aph.29.
cipia enim ac fines, omnia imbecilliora. morbo autem consistente fortiora, aliam rationem subiungit Galen. vt concoctio- 3. de crisi.
nes (quæ in vigore maximè fiunt) citius eueniant, melius est inquit, circa principia euacuare, quò minorem iam factam materiam, facilius natura possit concoque-

re,

Lib.3. re,itaque Aëtius,in acutis quando materia
4.aph.10. exuberat, in principio purgat. Hippocrat.
quoque medicatur in valde acutis ſi mate-
ria turget, eodem die. atque adeò vbi ma-
2.r.a. teria non turget (vt in pleuritide, in qua
non de loco ad locum vagatur, ſed ad de-
terminatam ſedem mouetur) illam forti
pharmaco, vtpote veratro nigro vel peplio
1.aph.24. ſubducere iubet. Verùm meo iudicio,ſalu-
brius erit à validis abſtinere catharticis, &
in acutis raró & in principijs circa primum
videlicet diem, vel non vltra ſecundum,la-
xatiuis debilibus vti : & hoc ipſum cum
multa cautione & præmeditatione facere.
vt maior fiat ex purgatione vtilitas, quàm
quod neceſſariò conſequitur, ex catharti-
cis detrimentum, præſertim validis, & non
benedictis. quæ omnia ſunt potentia cali-
2.r.a.cō.11. da, proinde Galen.in omnibus acutis cum
febre vehementiſſima vitandam eſſe illo-
rum adminiſtrationem ſaluberrimè ſuadet.
4.r.a. Quibus inquit Hippocr. incipiente mor-
bo vrina craſſa eſt, aut veluti nubeculæ in
ea ſuſpenduntur, eos purgare conuenit, ſi
nihil obſtiterit.Qui verò tenues à principio
mingunt, purgandi non ſunt.

De pur

De purgatione in crisibus. CAP. XI.

In crisibus cùm perfectè natura mouetur, medicamento opus non est, (nam τὰ κρινόμενα καὶ τὰ κεκριμένα ἀρτίως, μὴ κινέειν, id est, quæ separantur, & separata sunt integrè non mouere, nam cùm crisis opus sit naturę, nec ad naturam iudicium pertineat, crisim separationem & non iudicium interpretamur) si verò mediocrius aut imbecillius agat, id quod deficit oportet supplere, vt ex vtroq; noxij humoris fiat euacuatio, natura quidem expellente, medicamento verò attrahente, siquidem quæ relinquuntur in morbis post crisim, recidiuas facere consueuerunt. Vacuare itaq; in die critico monstrant Hipp. & Gal. in 4. & 5. die pleuriticis cathartica præscribentes. Porrò vacuando Medicus naturæ motum imbecilliorem adiuuare debet, si is per partes idoneas vacuabat, si verò natura deprauatè moueat, eius motum prohibere oportet, & ad contraria transferre, & auertere, nam quæ ducere oportet, eo duci per conferentia loca debent quo maximè tendit natura.

1. aph. cō. 22.
1. aph. 20.
Aphorismus nouè interpretatus.
2. r. 2.

De purgatione in diuturnis morbis CAP. XII.

O Purgatio

PVRGATIO diminuens chronicorum morborum principijs ac incrementis congruit: nempe Hipp. in vulneribus & fracturis & morbis epidemijs plerunque purgatione vtitur absque vlla concoctionis mentione. Galenus quoque in alopecia & manantibus capitis vlceribus ac in cephalea ophthalmiaq; vtranq; bilem & pituitam purgat: & vix inuenies eum in alijs à febre morbis vel mollientem concoctionem, vel expectantem. Itaque Auicenna tum in arthritide, tum in pituitosa febri dum digeritur materia, laxatiua exhibere iubet. Et Trallianus cephalargicis & arthriticis competit, inquit, non vna modò euacuatio, sed geminæ aut ternæ purgationes: crassi enim & tenaces succi repentinæ ac subitæ purgationi confestim non obtemperant: pedetentim verò, & identidem purgatio digesti & eliquati facilius purgatorijs obediũt: datq; arthriticis oxymel Iuliani, quod crassos humores attenuat & vacuat. Sed purgatio abeuacuans à concoctione (quæ in morbi summo vigore perficitur, teste Galeno) conuenit, & vt idem ait, in longis morbis semper oportet expectare concoctionem, videlicet

1. & 2. κατὰ τόπ. 13. ther.

22.3.1.4.

3. de cris. 2. aph. cõ. 29.

videlicet ad vtiliter abeuacuandum.

De superpurgatione. CAP. XIII.

IN superpurgationibus (quas ὑπερκαθάρσεις vocant) humores etiam purgatorio non familiares euacuantur, propter vasorum infirmitatem, osculorum laxitatem, & purgantis pharmaci mordacitatem. In illis quoque postremus euacuatur humor, qui familiarissimus est. Aliorum autem vnusquisque prout aut crassus est aut tenuis.

Porrò vasorum imbecillitati medentur quæ roborant. Osculorum laxitati quæ adstringunt. Carthartici qualitatē obtundunt quæ abluunt, abstergunt, comprimunt, & alexiteria. At fluxionis remedio sunt quæ humores in contrarium reuellūt. Postremò sunt narcotica, ex Mesueo. Itaq; Hippocrates ad ὑπερκαθάρσεις, seu purgationis excessum commendat in balneum statim imponere, vinumq; bibendum dare, & ante balneum & post. Quod præstantissimum certè est, teste Aëtio.

De catharticis. CAP. XIIII.

PVRGATORIA medicamenta nuncupantur Galeno, quòd sanguinem ab ex- Li. de vi cath

crementis purum constituant, siue mitiorem faciant purgationem, siue vehementem, valdeq; laboriosam, & hæc omnia esse potentia calida fatetur. Sed quæ clementer & placidè aluum subducunt, magna ex parte temperata, aut frigida esse censentur. Quæ antiquioribus incognita fuisse argumento est, quòd eorum apud illos nulla fit mentio. Itaq; purgatoria ferè omnia (præter lac Asinæ) quæ in vsu Hippocrates habuit, calida admodum erant, validaq; vi corpus agitantia. Quod in elaterij nomine (quod agitatorium Latinè dici potest) licet agnoscere. Quo nomine non solùm in cucumeris agrestis succo, sed in omni purgante medicamine vtebantur, vt testatur
Primo.r.a. t.4. Manardus, imo & Galenus, cui elaterium de omni cathartico dicitur. Insuper purgā-
2.r.a.cō.12. tium, inquit, omnium natura, illorum quæ expurgantur naturis contraria est. Iā cathar
2.r.a. cō. 12. ticorum differentia quadruplex existit, secundùm Mesuem & Mundinum, vna pur-
Lib. cano. uer. & in cō. gantium detergendo, vt vrtica, leniendo vt māna, altera lubricando, vt psilij muccago, tertia comprimendo vt rha & myrabolani, quarta attrahendo: Attrahunt autem sibi familia

ſamiliares ſuccos non ſimilitudinis ratione, quæ ſit qualitas manifeſta, vt quidam putant, ſed inſita totius eſſentiæ proprietate, quæ familiaritas atque ſimilitudo à Galeno 3.ſimpl. c.23. appellatur, & hæc gemina eſt, actu ſcilicet, 24.25. & potentia. Nec à familiaribus ſuccis attrahuntur, quòd efficaciora ſint, eoq́; attrahere potius quàm attrahi ſunt idonea, vt refert Galenus. Præter hæc alia nonnulla 6.ſimp. ventrem mouent, ὑπάκτικα ab Oribaſio nominata, alia verò quæ ab excernendo ſtercore Gal. vocat ἐκκοπρωτικά. Attrahentium quoque quædam ſunt maleficæ eſſentiæ, quædam verò bonæ, & hæc Trallianus poſt Galenum 4. & 13. ther. ὑπήλατα appellitat, vtpote benedicta & incolumia. Priora duplicia ſunt, tota ſpecie malefica, & ex accidenti ſolùm, hoc eſt, ſecundùm aliquod indiuiduum ſui generis maligna. Illorum Lib. de vi cathar. inſuper alia dicuntur cholagoga & melanogoga, quædam phlegmagoga, & alia hydragoga. Hæc omnia vbi fine ſuo fruſtrantur, ſi deleteriam in ſe vim permixtam habent, corrumpunt, ſi non habent, concoquuntur, & talem generant ſuccum, qualem trahere nata erant, vt autumat Gale-

3.simp. c. 23. 6. cont. & 4.1. nus, cui refragari videntur Rasius & Auicenna, instantes de pyrrhetro, & gnidio seu semine chameleæ, pro quo vrticam, quæ cnide quoque dicitur, interpres perperam suppofuit. A maleficis ambobus abstineto, inquit Mes. nisi si quando in magnis morbis est vtendum his, quæ tota specie maligna sunt, prius tamen modis omnibus quibus potes, correctis. A cathartico etiam sua essentia incolumi abstinere oportet, nisi id optimè & vt oportet, præparatum corpori adhibeatur, iusta quantitate, qualitate & tempore, nam purgãtia omnia (vt Galenus monet) ventrem, præsertim os ipsius lædunt, ob id quæ boni sunt odoris illis miscere iubet, dixitq; miscenda non esse ea, quorum alterum citò, alterum verò tardè purgat suum humorem, nisi addideris aliquid, quod tardi vim incitet, festinareq; illud faciat. Nec debent simul coniungi cum compressiuis quæ lubricent, vt prodit Auicẽna, saltem æquis portionibus. Canon itaque Galeni est, vt, quoad fieri licet, iucundissimum fiat medicamentum: forsan iuxta illud Hippocratis, medicus gratificari ægrotis debet, in cibis, potibus & medicamentis:

Lib. cano. vers.

2.r.a.cõ.11.

4.1.

4.de t.s.

mentis: est enim in cibo medicamentum præstantissimum, vt idem exarat. Quare Aëtius quę molliunt, quæq; aluum ducunt, non solùm lenitione, lubrica operatione, & comprimendo, sed etiam attrahendo alimentis miscet, qua de re saluberrimè disserunt Io. à S. Amãdo, & Matt. Graduensis.

6. epi.

In concordãtijs Galenus. In glo. super com. Alm.

De enematibus ac balanis. CAP. XV.

ἜΝΗΜΑ iniectionem sonat, ab ἐνίημι, vocatur & enema κλυστήριον καὶ κλυστὴρ, id est, lauamentum, vel ablutio, à verbo κλύσειν. Instrumentum verò per quod enema infunditur, est vesica cui fistula ad finem annexa sit. Interdum fit syringæ simile, argenteum aut stanneum, corneum quoq; legitur apud Aëtium, fit etiam buxeum ea forma, qua citra ministri auxilium vel ægrotans sese possit perluere. Denique instrumentorum omnes differentiæ sumuntur à forma & situ membrorum, vnde non solùm ani sunt clysteres, sed etiam qui dicuntur otici, id est, auriculares, quorum meminit Oribasius & Cælius: & oricularij, quos contenchytas vocant: & vteri, quos metrenchytas: & vesicæ, quos catetheras appellant. Enema-

Lib. 9.

Lib. cura. 2. cronion.

Lib.7. tum vſum ab ibide profectum eſſe ſcribunt Plin.& Autor introd. hæc enim collo, tanquam clyſteris vtre marina Niliq; aqua impleto, roſtri aduncitate per eam partem ſe 2.r.a.cō. penult. perluit, qua recrementa reddi ſolent. Horum indicatio ex ventris deſumitur affectu, vt teſtis eſt Galenus, omnibus enim inteſtinis, craſſis ſcilicet & gracilibus remediant iniectiones, ſed inferioribus magis quàm 4.ther. ſupernis auxilio ſunt, vt cenſet Galenus. Iſtorum quoque differentiæ capiuntur ab effectibus, nam mollia dicuntur quæ aluum In cōp.med. tantum molliunt. Acria, quæ non ſolùm ſcybala ſed & phlegma educunt, teſte Oribaſio, σκύβαλον καὶ κόπρον eſt excrementum, quod ab edulijs in inteſtinis continetur, vt 1.r.a.cō.32. Lib.2.epi. finit Galen. Ex quo forſan Manardus, Scybala, inquit, non tantùm arida, ſed etiam 4.r.a.cō.17. mollia ſtercora ſignificant. Galeno tamen σκύβαλα quaſi in nucleum formata excrementa vocantur. Anodyna, ad dolores ventrales. Quæ Plautinus ſæpe colico vexatus dolore ſemper renuebat, negans decere ſenem eiuſmodi curationes, quod à Porphyrio in vita eius relatum eſt. Adſtringentia, ad diarrheam, detergentia & ad cica-

tricem

tricem ducentia cauteriſantiaq; ad dyſenteriam, hæmagoga, ad iſchiadicos, de quibus omnibus affatim egit Oribaſius. Dirigentia competunt febribus ſecundùm 1. 4.
Auicennam. Diuretica renum veſicæq; af- Li. 9.1.theſir.
fectibus. Fiunt etiam nutrientia, quibus tabidi connutriuntur. An cibus per clyſmos inditus nutrire poſſit? vt innuit Celſus lib. 3. ca. 19. Quodq; ſentit Aëtius, lib. 9. & Auen- 5. & 13. ther.
zoar primo theſir. Sed Galenus ait ea, quæ per ſedem infunduntur, adire non poſſe ad illas, quæ ventriculo vicinæ ſunt partes. Quod fortaſſis verum eſt de medicamentis, quæ naturæ minus grata ſunt quàm cibus, vt interim ſileam quod interdum ſtercus & clyſteres per vomitum reijciuntur, vt in voluulo. Verùm ecquid prohibet cibum ab inteſtino ad inteſtinum attractum ad ventriculum conſcendere? præſertim in atrophia, magniſq; inedijs. Conſtat autem quòd nihil nutrire poteſt, niſi in coquendi inſtrumentis, vt ventriculo, hepate, venis præparetur. Quod de vino declarat Galen. 3. de temp.

Præterea in catharri acris curatione Ga- 5. ther.
lenus acri clyſterio vti iubet: Et clyſter vali- 2. κατὰ τόπ.

dus, inquit, reuellit ea quæ ad caput feruntur, & non ſolùm ea quæ circa ventrem &
13.ther. meſareum ſunt, euacuat: ſed etiam quæ circa hepatis ſima hærent, videlicet vi attractoria: ſiquidem per clyſterem infuſa, omnino ad ieiunium vſque aſcendere non poſſunt: imò ſi admodum nitaris, fortaſſis tenue tantùm inteſtinum contingunt. Eo quoque vtitur Auicenna ad trahenda excrementa à membris principibus ſupremis: ob id infundi ſolet apopleticis. Duobusq́; modis ex ſupernis trahere dicitur: primò per formam ſpecificam, vt infuſum quod efficitur, ex decocto agarici tripolij colocynthidis & ſimilium: ſecundò trahit virtute communi, veluti cataclyſma abſterſiuum, quod expultricem vim ſtimulat, vnde accidit vehemens motio per quam fit attractio, à ſuperiori parte deorſum verſus. Menſura magna Oribaſio ſunt heminæ tres, me-
In cõp.med. Lib. 9. dia duæ, exigua vna. Aëtio infuſi anodyni menſura vna, mediocris poculi eſt. Vbi ab infernis inanire aluum libet, minor eius quantitas eſſe debet. quando à ſummis, vberior, à medijs verò moderata ac mediocris. Hora infuſioni commodior eſt, quando

aër

aër frigidior exiſtit, vt aſtruit Auicenna. 4.1.
Quorum ventriculus eſt vacuus,his inijcere clyſteres prohibet Raſius,ne illi ad ſuperiora attrahantur cui refragari videtur Auicenna illos inijcere prohibens, dum in ventriculo eſt aliquid,ne ſcilicet crudum ad inferna trahatur, ſic hos non indoctè conciliat Graduenſis, rationem quoque innuere videtur Galenus hunc in modum ſcribens. cùm ventriculus ſecundùm naturam ſe habet, è ſupernis partibus ad ſeſe trahit,& per inferiores deijcit, cùm verò præter naturam affectus eſt, etiam ab infernis aliquid aſſumit, non quòd trahat, ſed ſuſcipit duntaxat ea quæ ob inteſtinorum compreſsionem violẽter ſurſum feruntur. quippe nonnullis clyſteres adeò aſcenderunt, vt vomitione reijcerentur, quemadmodum & ſtercus per lætales voluulos. Itaque illi qui nuper cibum accepit clyſterem immittere præcipit Hippocrates, ſi cibus iampridem ſumptus nondum deſcenderit, & in debilibus ob inediam aut magnam vacuationem aliquid cibi tenuis offerre ante infuſionem vtilius eſſe putatur. Clyſmata prono vel ſupino vel in latus decumbenti infunduntur

9.cont.c.1. 16.3. In glo.9. Alm. 3.de cau.ſy. 1.r.21

duntur, prono in colico dolore, ſupino verò in nephritide & ſchiaſi, vt idem cenſet
9.cont. Raſius. Calida in flatulentis diſpoſitionibus, & tepida in non ventoſis inijcienda
In cōp. med. Lib.2.c.11. eſſe conſulit Oribaſius. Celſus item id, inquit, quod inſunditur neque frigidum eſſe oportet, neque calidum, ne alterutro modo lædat. Quum infuſum eſt, quantum fieri poteſt, continere ſe in lectulo debet æger, nec primæ cupiditati deiectionis protinus cedere: vbi neceſſe eſt tum demum deſidere, educendi gratia. Aſſuefactio ſuppoſitorij vel clyſteris quotidiana, non offendit na
In pora. turam, ſi Arnaldo credimus. Natura tamen conſueta remedia contemnere ſolet, vt ait
1.eupor. 4.1. Lib.1. Oribaſius, cui concinit Auicēna: A conſuetis, inquiens, non fit paſsio. proinde aluum clyſterio aſsiduè ſoluere vetat Paulus, ne ob crebram irritationem natura ſpontaneæ ſecretionis opus tradat obliuioni. Cataclyſmata plenioribus & humidioribus magis ſalſa & tenuiora, ſiccioribus & gracilibus & imbecillis pinguiora craſsioraq; prodeſſe
In cō.poly. de. r.v.pri. exarat Galen. vnde Oribaſius, fugere opor-
1. eupor. tet ſenes acres clyſteres ne inteſtina deſic-
In com.9. Alm. centur, haud diſsimili ratione Tornamira

infu

infusis miscenda non esse cathartica contendit, sed eius placitum non quadrat Galeni aliorumq; doctorum præscriptis. Sæpenumero enematibus vtimur, eorum quæ relinquuntur à pharmacis, educendi gratia. Acria hepar debilitant, febrimq; pariunt, vt notauit Auicen. tametsi Galen. in curatione spuriæ tertianæ illis vtatur, vel saltem non admodum mollibus. Clysteria nocere stomacho renumq; affectibus prodit Rasius. nempe ea quæ sunt magnæ mensuræ. alioqui ex enematis iniectione renalis dolor mitigatur, vt commemorat Autor libri de renum affectibus.

10. κατὰ τόπ. | 4. 1. | 1. ad glau. | 9. cont.

De balanis, suppositorijs, collirijsq;.

CAP. XVI.

Vsvs glandium celebris est, oleculi excernendi gratia, ac in his quibus etiam dum clysteris reliquiæ, veluti mordicus retinentur, vt scribit Ægineta. Earum differentiæ sumuntur à materia ex qua efficiuntur, & à forma, suppositorio minus imbecillitantur ægrotantes, quàm enemate, ex quo Hippocrates, Illi, inquit, qui nuper cibum accepit, si vires valent, & viget ætas clyster immitti debet, si cibus iandudum sump

Lib. 1. | 1. r. a.

ſumptus nondum deſcenderit. imbecillo autem glandem ſupponere oportet, niſi ſponte deiectio ſecuta eſt. Glandulas longiuſculas facere, vt ad ſtrictiorem internam ani partem ſphincterem appellatam, tranſire
Lib.9.c.28. queant, docet Aëtius, easq; conuenire aſſerit, ad omnes ſoporiferas capitis ægritu-
Lib. 2. dines, & ad febres incendentes, quarum materia facilè eleuatur ad caput, in quibus clyſteres inferunt nocumentum.

De topicis purgationibus. CAP. XVII.

ISTAE fieri ſolent per cathartica communiter appellata, quæ excrementa quouis modo euacuant, vt bechica, errhina, apophlegmatiſmi, manducatoria, ptarmica, vretica, menſes mouentia & ſudores. Sed canon eſt, nequis locale medicamentum apponere audeat, niſi prius corpus totum expurgauerit, tunc enim his quæ à loco ſeorſum euacuant, vti licebit, ſi enim ante totius corporis purgationem ad locum ſeparatim purgandum acceſſeris, vt proprio medicamento proprias partes euacues, magnis incommodis ægrum onera-
Lib.3. bis, attrahes enim, vt inquit Aëtius, materiæ multitudinem ad loca imbecillia.

De pur

De purgatorijs extrinſecus admotis.

CAP. XVIII.

CATHARTICA quæ extrinſecus admouentur: vti ſunt epomphalia, id eſt, vmbilicalia, quæ ſub forma vnguenti epithematis vel cerati fiunt, item quæ in paſtillos formata, in manibus tenentur, humorem commouendo & attrahendo, cùm temperamento tum forma ſpecifica purgant, quem expultrix membrorum facultas (quæ ſuo munere fungitur, quum triſte aliquid ſentit, vt ait Galen.) per loca conferentia 2.de cau. ſy. educit, præſertim ſi non imbecillis ſed valida exiſtat, hinc eſt quod macris, tabidis, & reliquis debilibus, non ſunt ex vſu: errantq; qui illa pueris admouere iubent. Ra- r. cont. ſio in hydropeſſis etiam curatione improbantur, nec conceduntur, niſi vrgente neceſſitate, quum ſcilicet ægrotans clyſmata & pharmaca intro ſumenda faſtidit. In plethoricis corporibus vel abſceſſus vel pſoram generant. In illis quoque quorum expultrix eſt imbecilla, humores turgere faciunt. Illis conſocianda eſſe quæ repellunt, & partes (quibus admouentur) roborant, In para. docet Arn. Neocomenſis.

FINIS.

AD D. H. MONTVVM, CHRISTIANISS. Galliarum Regis Henrici secundi medicum illustrisſimum, atque doctisſimum, Claudij Valgelaſij Sanctochamundenſis Exaſtichon.

*

Claudis in angusto præcepta volumine cuncta,
Quæ Cous Hippocrates, quæq́ Galenus habet.
Conſidet hic viridi lauro redimitus Apollo:
Delphicus illa ſuo protulit ore Deus.
Sed latuit nimium theſaurus tantus : Amicis
Profer: & in medium progrediatur opus.

INDEX BREVISSIMVS ALIQVORVM ET NON OMNIVM

rerum, quæ in compendiolo tractantur.

*

P *Curatio*

Laus

 labris

Errata in Compendiolo.

Pag.10.linea 10. aperta, lege aperté.pag.21.l.penultima in meruo, lege in neruo.pag.25.l.24.præstantia, lege præterea.pag. 113. l.12. lege non item è diuerso omnis curatio est sanatio. pag.116. l.8.colli dolore, lege colico. pag.158. lin.8. quæ, superfluit. pag.199.lin.lithomici. lege lithotomici.pag. 202.lin.24.&,lege ut.pag.204.lin.24.ac, lege at. pag. 230.lin.21.baccelati, lege buccelati.Pag.249.l.7. sic,lege sed.